ACTA
SOCIETATIS IABLONOVIANAE
DE
SLAVIS LECHO CZECHOQVE

ITEM

DE VERIS ZICHIS

ANNI cIↄIↄCCLXXI.

TOMVS II.

LIPSIAE

APVD ENGELH. BENIAM. SVIKERTVM

CIↄ Iↄ CCLXXII.

Harum diſſertationum aliae, quod latere lectores non debebat, per brabeutas Principales praemiis, quae propoſita fuerant, ornatae ſunt; aliae, de iudicio Ipſius Principis, euulgandae tamen vna cum illis videbantur; aliae denique non niſi priuatae voluntati Principis gratificandi cauſſa conſcriptae ſunt. Huic igitur tanto tamque

ſingulari CELSISSIMI PRINCIPIS *de litteris optimis praeclare merendi ſtudio, tam denique ſapienti ingeniorum arbitrio Eius tot tantaque huius etiam voluminis bona debentur. Seruet Deus hoc litterarum Praeſidium tantum, tantum ſaeculi Decus quam diutiſſime!*

ODE

ODE
DEDICATA SERENISSIMO PRINCIPI
IABLONOVIO
CVM VINDICIAS
CZECHI ET LECHI
EDIDISSET
A P. CAROLO STEINER S. I.

Videre quondam litore Viſtulae
Redire Lechum Sarmaticae nurus
Rheda triumphali et maritos
Diuitibus ſpoliis onuſtos.

Duxere ſecum perdomitum gregem
Colla impeditum, cruraque vinculis
Pugnacia et tantum cruore
Barbarico maduere pila.

Mente haec fideli facta recenſuit
(Cum ligna largis ſubiiceret focis)
Auus ſedens curis ſoluta
Cuncta auida bibit aure pubes.

Tamen colendum heu! nox tegeret ducem
Aeterna: IABLONOVIUS abditis
Ni ſuſcitaſſet de ruinis
Acri oculo monumenta luſtrans.

Audiuit Albis Lechiadum caput
Raptum tenebris: audiit aeneo
Tridente quaſſo ter quaterque
Atque ſuas memorauit vndas.

Potaſſe Czechum magnanimum Ducem
Gentis Bohemae: mox virides Deae
Venere neglectis arenis
Et facili capite annuebant.

O qui duarum dicis originem
Prouinciarum! Sanguine regio
Prognate Maecenas! Sacrati
Praeſidium columenque Pindi.

Quamuis minutos in cineres ruat
Aetate marmor: diſpereant licet
Metalla: faxint dii! remota
Poſteritas Tua ſcripta ſeruet.

AD

AD

CELSISSIMVM S. R. I. PRINCIPEM

I A B L O N O V I V M

C E T.

DE

VINDICIIS CZECHI ET LECHI

SPRINGSGVTH

Quicunque gentis Slauonicae negat
Audax Satores, Dalmaticos Lechum
Czechumque fratres, ille docta
Scripta legat Iablonouiana.

Qualis serenat nubila Cinthius,
Cum dissipata nocte diem super
Terras inaurato capillo
Spargit; inania sic repellit

Dobnerianae dicta scientiae
Doctasque nugas, si Iablonouius
Splendore cinctus veritatis
In tenebras penetrat profundas.

Quo

Quo patre nati nos docet, et quibus
Fratres in oris; quae fuerit Lecho
Arces paternas deſerendi
Cauſa; viae Czechus vt peractae

Errore finito Marabodui
Regnum occupauit; Sarmaticos Lechus
Late per agros vt locata
Gente thronum ſtabiliuit audax.

Excelſe Princeps, gloria ſaeculi,
Et grande gentis Slauonicae decus,
Audiſne quanto ſcripta plauſu
Pierides Tua dedicarint

Aeternitati? Belius vt Tuos
Doctus labores, cumque Duchouio
Semlerus immenſos profundi
Ingenii ſtupeant theſauros?

ANIMAD-

ANIMADVERSIONVM
AD ANTIQVIORES SCRIPTORES
RERVM POLONICARVM
SPECIMEN
ILLVSTRATVR ET ILLA QVAESTIO NVPERA
DE
CZECHO ET LECHO

TANDEM LECHITIS SIT PAX,
ATQVE INCIPIT ESSE.

Per Magnificum Io. Salomonem Semlerum, Prorectorem Academiae Halensis, ibique Theologiae Doctorem et Professorem.

ARGVMENTVM SCRIPTIONIS.

De fontibus mediocribus e quibus hiſtoria antiquior Polonica collecta fuit. §. 1. *et* 2.

Kadlubko exſcripſit Iuſtinum, §. 3. *et* 4. *in eo multi latini verſus debebant obſeruari.*

Multa in editione Kadlubkonis Gedanenſi debebant alio loco legi. §. 5.

Reſtituuntur multa Vincentio huic, quae iſta in editione luxata et diſſecta fuerunt. §. 6.

Luculento τεκμηριω *id efficitur.* §. 7.

Continuatur et multa librariorum menda expurgantur. §. 8.

De Martino Gallo; locus e noſtris ſcriptoribus de Lechone a. 805. §§. 9. *Debebant obſeruari multi rhythmici verſus etc. Loci varii emendantur in pluribus iſtis libellis.*

De Anonymis Sommersbergii, §. 10. *et* 11. *multa menda librariorum ſublata.*

Ad Boguſalum variae emendationes. §. 12.

Ad Chronicon Archidiaconi Gneſnenſis; diſtinguendae ſunt plures compilationes. §. 13.

Recentior quaeſtio de Zecho et Lecho illuſtrata. §. 14.

Diuiſi Zechi et Lechi ratione Geographiae ſed non ratione originis. §. 15.

ANIMADVERSIONVM AD ANTIQVOS SCRIPTORES RERVM POLONICARVM SPECIMEN ILLVSTRATVR ET ILLA QVAESTIO NVPERA DE CZECHO ET LECHO.

PRAEFATIO.

Cum in noſtra illa litterarum luce, quae tot offert veteris hiſtoriae adiumenta, quibus olim caruerunt multi, tamen ſuperſit non parum et tenebrarum et laboris improbi: non mirabimur, ante iſtam aetatem noſtram, ante ſecula iſta ſex ſeptemue, obſcuritatem difficultatemque magnam, ſcribentium de antiqua Polonorum hiſtoria conatus aut fefelliſſe, aut oppreſſiſſe. Itaque illi plerique ſcriptores, qui per medium illud tempus, quod poſt chriſtianorum aeram, atque ante noſtram effluxit aetatem, hiſtoriae patriae aut colligendae aut ornandae operam dederunt, licere ſibi ſtatuerunt: vt aut ſilentio tranſirent omnino illa tempora vetuſtiora, quibus omne hiſtoriae lumen deeſſe videbatur, aut corraſis et arreptis vndecunque narrationibus, explerent, ſicut poſſent, iſtum, qui vacuus atque inanis eſſe videbatur, locum. Si cauſam requirimus eius caliginis et obſcuritatis, quae plura per ſecula obtinuit: facile perſpicimus, defuiſſe iſtis gentibus, qua-

rum primordia repetimus, hiſtoriae ad poſteritatem transmittendae fere omne ſtudium atque conſilium; quae non ſolum a litterarum mitiorum vſu ac conſuetudine aberant, ſed et vitae ciuilis modum ſtabilem nondum didicerant: nec enim illa feritas, et dura viuendi inter feras, in ſaltibus certe atque tuguriis, conſuetudo, ſoli unius et domicilii fixi impatiens, vrbium commoda atque miniſteria experta fuerat. Bellorum vero aut rapinarum illud fere perpetuum exercitium, bellicam tantum illam virtutem alebat: ſcribendi vero et dicendi mitiorem et ingenuam facultatem parum adiuuabat. Itaque cum chriſtianis horum ſtudiorum amatoribus ſaltem aliquod inſtar ſupereſſet, poſt collapſum illud tam ingens Romanum imperium: facile perſpicimus, hos iſtis gentibus barbaris,[1] i. e. nondum chriſtianis propinquos chriſtianos ſeruaſſe primos hiſtoriae peregrinae quaedam documenta, quia litterarum miniſterio chriſtiani non caruerunt; quod vſurpari ab iſtis gentibus incultis nondum poterat. Etſi enim inter Gothos antiquiores legimus patriae hiſtoriae ſcriptores[2] non omnino defuiſſe: tamen et hi chriſtianorum fuerunt ſacrorum, i. e. ab omni ingenii cultu non abfuerunt, aliorum certe ſcriptorum hiſtoricorum exemplis prouocati. Inter Slauicas autem iſtas et Sarmaticas gentes, quae alienae fuerunt a chriſtianiſmo, a Graecorum

1) Sic e. c. Bohemorum chronica excitantur a Polonicis quibuſdam ſcriptoribus: quia chriſtianiſmus et latinarum litterarum conſuetudo inde a Francorum monarchis a Carolo M. certe inter Bohemos, locum prius inuenerat.

2) Vel Anonymus ille Geographus Ravennas, quem edidit Porcheron, 1688. 8vo, excitat Eithanaridum, Eldeualdum, Marcomirum Gothorum ſcriptores, alii ab aliis excitantur, atque vel ſcriptores Polonici ſemper ad antiquiora chronica, ad priores annales prouocant.

vero et Romanorum litteraria conſuetudine multo magis remotae, ne nomen quidem vllum ſcriptorum auctorumque recitatum legimus. Nempe nec Germanorum aliorumque in Europa populorum monumenta litteraria exſtant, quae florentis romani imperii tempus attingant. Iam vero ſi vel maxime graeci quidam latinique ſcriptores, hiſtoricum aliquod miniſterium nobis praeſtant, quod ad Polonorum antiquitatem pertineat: non domeſticam illam interioremque Polonorum hiſtoriam deſcribunt, et ordine exponunt, quam ignorant; ſed illa pauca temporis intervalla et momenta memoria repetunt, quae ſuorum hominum aliqua experimenta, pericula aut emolumenta inuoluunt, quae res Polonorum tamen vix aliquas prouincias exteriores attingere ſolent. Tum demum, cum chriſtianae religionis ſocietas Germanos alioſque homines Polonis admiſcet, cum aut ſacra aut politica conſuetudo quaedam locum habet: hiſtoriae huius ſerioris polonicae exiſtunt ſcriptores et copioſi et locupletes. Lux igitur clara et certa hiſtoriae oritur demum iſto tempore, quo Poloni accipiunt Latinos clericos et monachos, qui ſcribendi vſum et conſuetudinem eam quaſi ſecum adferunt. Ad antiquiorem vero illam hiſtoriam, quae a gentis ipſis primordiis atque incrementis ſeruato temporis ordine locorumque certo diſcrimine res gentis illius, (ſi gentem vnam dicere fas eſt) luculenter tradat poſteris: hi iam ſcriptores chriſtiani parum colligere ex iſta narrationum auitarum et traditionum copia potuerunt, quod ſacro hiſtoriae iure recte vtatur.

§. I.

Celſiſſimi Principis Iablonovii Muſagetae Polonici, praeclara illa munificentia publica eruditorum virorum libera-

beraliſſime prouocauit ſtudia, vt hiſtoricum illum locum de Czecho et Lecho diligentius et accuratius excuterent. Nec obſcura ſunt illa decora iluſtrium nominum Ayreri, Belii, Schlözeri, qui illuſtrandae illi cauſae eximiam dederunt operam; poſt quos ſi mea haec opera tenuis videatur et mediocris, facile tantorum virorum me magnitudine conſolabor. Superſunt autem non pauca, quorum diligentius examen, fructus nec paucos nec exiguos haud dubie ſecum feret. Atque ego quidem vt praecipue amo vetuſtiorem illam omnem hiſtoriam, quae ſimul eccleſiaſticam illam hiſtoriam partim eximie illuſtrat, partim in ſe quaſi continet: ita noſtros illos latinos ſcriptores mediorum temporum non negligenter legere atque excutere ſoleo; quorum cenſum quaſi legitimum, quantum poſſum in pauco illo otio, quod mei loci hominibus ſupereſſe ſolet, actum eo; vt diſcam, cui ius ferendi ad hiſtoriam ſuffragii recte tribuatur, cui ſecus. Itaque et iſtos polonicae hiſtoriae ſcriptores minores, qui ſunt antiquiores Dlugoſſo et aliis, nuper legi accuratius, vt res eius generis obſeruarem, quae ad auctoritatem iuſtam informandam faciunt; non quod hoc illud propoſuerim mihi aliter definiendum, quam viri eruditi alii, qui hunc locum illuſtrarunt; ſed quod in illa republica litteraria vnumquemque deceat viri probi atque liberalis officio ipſum ſtrenue fungi: expertem omnis alius curae, quae ſtudiorum communium ſucceſſibus obſtet. Alii id viderint, vtrum mea illa opera nouae lucis aliquid ad iſtos ſcriptores rerum polonicarum attulerit, quod ſperare ipſe audeo.

§. II.

Si ea colligo, quae videntur a ſcriptoribus illis ſuperioribus rerum polonicarum adhibita fuiſſe miniſteria atque

que adiumenta condendae hiſtoriae: duplicis ea ſunt generis; aut enim ex domeſtica traditione hauſerunt rerum olim geſtarum imagines; aut aliorum praeterea exterorum ſcriptorum ſubſidiis ſic vſi ſunt, vt commodum iis videbatur: partim vt ſententias et ſtylum ex iis deſumerent, partim vt res ab iſtis de aliis narratas gentibus ad ſuae gentis hiſtoriam vetuſtiorem illam tenebris obſitam, transferrent. Quod ad domeſticam traditionem attinet, etſi ea per ſe et ſola hiſtoriae illud ius et omen ſecum non fert: non caret tamen ſuo iure ac honore omni. Sunt enim vnicuique genti quaedam quaſi propria, quae ſic ei conveniunt, vt hiſtoriae talis imago apud alias non inueniatur. Subeſt enim traditionibus illis aliquid verae hiſtoriae, quod vix ex memoria hominum eius populi omnium excidere omnino vllo tempore poterat, licet ſcribendi miniſterium iſta per tempora vetuſtiora nondum acceſſerit. Eius certe generis ſunt nomina propria illorum 3) qui gentis aut auctores aut ſtatores fuerunt bene meriti; porro ideae illae hiſtoricae et characteriſticae, quae amorem aut odium ſecum ſemper ferre et continuare ſolent. Familiarum igitur nomina, et bene, aut male facta, etſi vetuſti nec accurate deſignati temporis, eo magis celebria manſerunt, et clara, quo fuerat olim minus rerum aliarum, quod memoriae ad poſteros mandandum eſſet. Iam vel tumuli, vt Craci tumulum ſolebant oſtendere, et lapidum congeſtorum

3) Turskopole ſeruat ideam Turkonis, quem ſcriptores Dalmatici et Bohemici, patrem Czechi et Lechi prodere ſolent; itaque tam in Bohemia, quam in Polonia ſupereſt Tursko, quod, vt plura alia, aliis diligentius et copioſius illuſtrauit, incomparabilis Princeps Ioſephus Alexander S. R. I. Iablonouius in eruditiſſimis Vindiciis Lechi et Czechi, excuſis Lipſiae 1771. in forma maiori quarta, p. 119. ſeqq.

rum diſtincti acerui, diuturnae memoriae ſufficiebant.[4]) Feſti etiam quaſi annui dies, noui ritus quidam, prouerbia hiſtorica, hymnorum rudimenta, plura per ſecula hiſtoriae vetuſtiſſimae imaginem inſtaurabant, ſaltim quod ad eas res attinet, e quibus aliquid aut emolumenti, aut damni praecipui ad gentem vniuerſam pertinuit. Itaque ſi vel maxime nulli habentur ſcriptores inter Polonos, chriſtianiſmo ab iis ſuſcepto antiquiores; tamen non intelligo, cur dubitandum mihi ſit, fuiſſe olim iſta in gente ampliſſima Slavica celebrem Czechum aliquem et Lechum? Fuiſſe eos fratres ſiue tres? Nec enim hoc inauditum aut improbabile, familiae, quae ceteras ſuperaret, ſtatores, fines domicilii quaſi protuliſſe. Fuiſſe igitur ductores familiarum diſtinctarum etſi non peregrinarum, aut origine multum ſeiunctarum. Veniſſe ex aliis terris in eas prouincias, cuius incolae hanc hiſtoriam vetuſtam memoria ſemper recolebant; conſediſſe porro et manſiſſe his in terris. Bella etiam geſſiſſe vario Marte. Quid enim iſta narratio continet, quod ſit a vero et auctoritate inſita alienum? Sed iam traditionis illud ius mediocre aut exiguum ſeiungimus, cum ſcriptores, de iſtis vetuſtiſſimis rebus audent definire partim ordinem omnem temporis; partim et locorum ſpatia deſcribere; cum a diluuio incipiunt, cum ab Alexandro, a Iulio Caeſare, Craſſoque deſumant narrandi argumenta. Haec igitur, quia nos certo ſcimus, hiſtoriae graecae et romanae eſſe propria, atque vel oculis videmus noſtris,

4) Forte et hi rudibus characteribus aliquid hiſtoricae rei ad poſteros tranſmittebant, vt ſcimus Slavicarum gentium ad vtrumque Albis littus detectos eſſe non raros tumulos, quorum maxima ſita in ea parte, quae ſepulcri quaſi inſtar efficiebat, characteres varios, et ſigna oculis futurorum lectorum deſtinata multa oſtendere ſolent Runas.

noſtris, ſcriptores inter Polonos recentiores ea deriuaſſe ex Iuſtino Moſe aliiſque ſcriptoribus: 5) haec inquam reddimus veris et antiquis ſcriptoribus, haec iam non credimus Kadlubkoni, aliiſque narratoribus. Damus eam veniam, quod ſedulitatis laudem ſaltem ſecuti fuerunt, licet parum feliciter illud vacuum atque inane, quod ad hiſtoriam patriam vetuſtam attinet, interuallum, ea ratione explere, atque inſtaurare conati ſint. Facile iſta aetas, quae tulit hos patrios ſcriptores, patiebatur non ſolum, ſed et amabat hanc diligentiam, quam eruditiores quidam adhibebant, qui aliquos ſcriptores latinos, aut chronica quaedam oculis vſurpare poterant, hanc enim Corinthum adire non licebat iſtis imperitioribus. Maluerunt igitur legere ſic collectas conſarcinataſque maiorum ſuorum vetuſtiſſimas hiſtorias, quas videbant cum traditione illa vulgari facile coniungi poſſe, quam carere patriae hiſtoriae proprio corpuſculo, idque ſimili indulgentia illorum temporum ſenſim ſuccrevit ſcribentium nouis ſtudiis atque virtutibus. Iam enim amor ſuſcepti argumenti fallere ſolebat ſcriptores, et partium ſuarum perpetuum ſtudium; aliter de iiſdem rebus tempore minus vetuſto geſtis narrant Poloni, aliter Hungari, aliter Bohemi, aliter Germani. Sed et illud, quod iam addimus, confirmat illam ſententiam noſtram, de origine et modo ſcriptarum narrationum: quod in tempore definiendo iſti ſcriptores ſeduli non conueniunt, qui omnes conueniunt in argumento propagando, quod indubium, per

5) Eo certius eſt, hos ſcriptores, qui e c. vel ex Iuſtino aliquid deſumſerunt, nulli pepercisse operae in colligendis domeſticis monumentis. Nec miramur eos etiam Bohemicos ſcriptores adire, quia non ignorabant, vtramque gentem olim ratione originis et ſanguinis non fuiſſe diuiſam etſi locorum interuallo, ceterum hiſtoriae, quae ſenſim locum habuit, argumentum non poterat non diuerſum eſſe.

per plura ſecula, per manus quaſi accipere omnes ſolebant. Exemplo commodo vtemur. Conuenit inter omnes ſcriptores patrios de Czecho et Lecho ducibus certe familiarum in nouas prouincias, niſi et auctoribus familiarum paulo poſt ingentium. Sed iam, cum hiſtoricorum morem imitantur, cum temporis rationem deſignare audent, quia traditio illa rudior deſtituta eſt aliarum rerum, quibus tempus ſolemus comparare, atque metiri cognitione ſtabili, iidem ſeduli ſcriptores diſſentiunt. Poſt illud diluvium ante Alexandrum ponunt quidam illos longi aut brevioris itineris errores, ita Kadlubko anonymi iſti duo, quos edidit Sommersbergius chronicon illud Bohemiae a Menkenio et Ludewigio editum, ad quod ille anonymus alter ipſe provocabat, ſic et Dlugoſſus ceteris et elegantior et verboſior. Sed cum hiſtorica auctoritas nunc demum acceſſiſſe non poterat cum iſti ad ſcribendum accederent, cum ſupplere audent id, quod in traditione gentili ac vetuſta, temporis et loci diſcrimine non deſignabatur: ſcriptores alii exercitatiores aut inſtructiores hiſtoricis ſubſidiis, tam non ſequuntur iſtos condendae hiſtoriae auctores, vt tempus longe diuerſiſſimum deſignent. Vapouius enim Alexander Gagninus, Henelius [6] Daniel Farlatus [7] iſtam migrationem gentis ſub Czecho et Lecho reiiciunt in ſeculum ſextum medium a. 550. atque Farlatus quidem aliis diligentior, vel patrem iſtis filiis reperit Senulatum [8] Gothorum et Slavorum regem in Dalmatia forte

6) In annalibus Sileſiae tom. 2. Sommersbergii p. 198.

7) Farlatus in Illyrico ſacro apud Aſſemannum tom. 2. p. 79. (Calendariae eccleſiae vniuerſae etc. Romae 1755. in 4to.)

8) Varie ſcribendo perverti ſolent nomina Slavica, vt omnes norunt, Suenlad accuratius ſcribendum erat. De Patre Czechi et Lechi omnium diligentiam vicit Celſiſſimus Iablonouius in elegantiſſimis

forte non infelici aufu: affirmat autem fuo iure plerosque fcriptores iftam Czechi et Lechi expeditionem ad fextum aerae chriftianae feculum, 9) referendam effe, ftatuere. Hic ego rogarim: cur ergo ifti alii in tempore affignando fic diffident? Quia traditio rem quidem ipfam migrationem ex aliis terris in has prouincias fatis certo ad pofteros propagauerat, fed temporis defignatio in illa caligine et ignoratione aliarum humanarum rerum defignari atque explicari ad pofteros luculenter non poterat. Itaque et de loco vnde in has prouincias intrauerint, diuifae funt fcribentium fententiae, nempe geographiae olim lux fimiliter defuit, vt chronologiae minifterium. Ifta vero adiumenta funt eruditionis liberalioris partes, quae hominum ingenia litteris iam exculta requirunt, ab ifta vero literarum confuetudine et felicitate, cuius pars quaedam a chriftianis tenebatur, abfuerant illi Slaui omnes; itaque ii fcriptores, qui primi ad hiftoriam patriam condendam accedunt, iam audent veteri hiftoriae quafi hos oculos, quibus carebat, ipfi indere, fed quia de fuo id faciunt, fequuntur ingenii modulum adhuc deftituti adiumentis fcriptorum illorum, qui vicinarum gentium hiftoriam vtcunque fcribendo illuftrauerant: alii igitur ineptius, alii minus inepte id adiiciunt, quod ad hiftoriam fcribendam deerat.

§. III.

mis Vindiciis Lechi et Czechi p. 2. Suenlad vitricus dicendus, feu matris maritus alius. Nec eft dubitandum fore vt tandem vetuftior Slavicae celeberrimae et rerum olim geftarum gloria ditiffimae gentis hiftoria colligatur fatis certa, quam exteri fcriptores in varias partes quafi difcerpferunt.

9) Magno numero, fcriptores, qui confentiunt, nominauit, Celfiffimus Princeps Iablonouius in Vindiciis Lechi et Czechi p. 221. 222.

§. III.

Iam vero accedimus ad iſtos antiquiores ſcriptores domeſticos quoſdam [10] eorumque modum et artificium, ſed et ſtatum conditionemque, vt poſſumus, obſeruare atque illuſtrare conamur. Kadlubkonem igitur primo loco paululum excutiemus; vtimur autem illa editione [11] quam in margine deſcripſimus, quae haud dubie eſt magis ingenua, et minus interpolata, quam ante eam excuſae.

Pag. 2. „Eodem tempore Aſueri, qui regnauit a Iu„da, [12] vſque ad Ethiopiam ſupra 127. prouincias, CCC. „millia Gallorum, vt ait Trogus, cum eos ſua patria ca„pere non poſſet ad ſedes nouas quaerendas terram propriam „relinquentes exierunt. Ex quibus portio in Italia con„ſedit, Romamque captam incendit, omnia vero paene „totius orbis regna occupare moliebatur; quod Poloni au„dientes copioſum exercitum congregant etc. Nempe haec de Gallis his non erant pars hiſtoriae, quae ad Polonos eorumque veros maiores pertinebat: ſed ſcriptor ille legerat Iuſtinum, atque pro ſuo quidem arbitrio illa ad hiſtoriam Polonorum adiunxit, vt aliquid lucis illi inferret. Sic enim Iuſtinus, qui Trogi compendium dedit, libr. 24. c. 4. ſcribit. „Nam Galli abundanti multitudine cum eos „non caperent terrae, quae genuerant, CCC. millia ho„minum ad ſedes nouas quaerendas velut ver ſacrum mi„ſerunt. Ex his portio in Italia conſedit quae et vrbem

10) Nec enim ad manus iam ſunt omnes illi, quibus Balbinus aliique vſi fuerunt.

11) Vincentius Kadlubko et Martinus Gallus ſcriptores hiſtor. Poloniae vetuſtiſſimi, cum duobus anonymis ex MSCto Bibliothecae epiſcopalis Heilsbergenſis, editi Gedani 1749. folio.

12) Debebat excudi, ab India, ſed plura ſunt indicia parum diligentiae in hanc editionem impenſum fuiſſe. Multa documenta paulo poſt occurrent.

„Romanam captam incendit, et portio Illyricos ſinus — „— per ſtrages barbarorum penetrauit, et in Pannonia „conſedit- ibi domitis Pannoniis per multos annos cum „finitimis varia bella geſſerunt. Hortante deinde ſucceſſu, „diuiſis agminibus alii Germaniam (duce Brenno) alii Ma- „cedoniam (duce Belgio) omnia ferro proterentes peti- „vere. Haec Iuſtinus. Iam addit Kadlubko: „Gallis igi- „tur ceſſit, vniuerſa Graecia; Polonorum vero huc, (i. e. „ab hac parte,) vſque Parthiam; iſtuc (i. e. ab iſta parte) „vſque Hungariam, ſimiliter vſque Carvatiam exercitibus „ceſſit acceſſio etc. Hic opus non eſt, vt nos diligentius explicemus, Kadlubkonem ipſis Iuſtini verbis et phraſibus, ſeruatis ſcripſiſſe, et res iſtas tranſtuliſſe ad res antiquas Polonorum. Nempe et hi, qui ex Pannonia et Croatia duces itinerum Czechum et Lechum profectos fuiſſe ſcribunt, videntur huius generis imaginem ſecuti fuiſſe. A Kadlubkone deſumſit Anonymus Sommersbergii primus tom. I. p. 2.[13] habet et alter Anonymus, attigit etiam Boguphalus, et quem alii hanc ad cauſam nondum aduocarunt Thomas Ebendörffer de Haſelbach [14] qui ſimillime ſcribit, forte ad noſcendam originem Auſtralium (vt ille Kadlubko Polonorum) deſeruit id, quod Trogus aiebat, „cum „Gallos et Germanos [15] totus non caperet, — — [16] pro

13) Sed partim breuius, partim ineptius, acceſſit vero in excuſo nouus error. Legitur „cum fini- „timis bella geſſerunt. Lechitis „ex tunc nonnulli liguriae coepe- „runt portionem“ etc. Legendum erat, — „bella geſſerunt Lechitis. „Ex tunc nonnulli Liguriae etc. Ad Iuſtini verba adiecerunt nomen, „cum finitimis Lechitis.

14) Tom. 2. Hieronymi Pezii rerum Auſtriacarum. p. 692.

15) Hanc gloſſam etiam ille Anonymus adiecit.

16) Haud dubie ex Anonymo ſupplendum hic, „orbis“ nam Anymus ſcribit: „Totus occidens.“

„pro multitudine: trecenta millia hominum pugnatorum „ad ſedes nouas quaerendas tranſmiſerunt, vltra Boiſa-„cum. [17] Ex quibus pars in Italia conſedit, quae et poſtea „Romam cepit et incendit, alia per multas ſtrages Panno-„niam incoluit, quae cum finitimis plura bella Polonis [18] „qui et Lechitae dicti ſunt, geſſerunt etc. Ille Haſſel-bach vixit ante medium ſeculi 15. atque, vt hinc patet, vſus fuit iam iſto Anonymo.

§. IV.

Sed alia ſuperſunt documenta Kadlubkonem illum di-ligenter legiſſe Iuſtinum, nam p. 4. quae de Semiramide ſcripſit, etſi ibi Iuſtinum aut Trogum non nominauerat, omnia ſcripſit ſeruatis Iuſtini verbis: „immaturo regnum „credere (Kadlubko tradere ſcribit,) non audens; ſe filium „ſimulans" etc. eſt et illud a Iuſtino deſumtum, quod ſe-quitur de India: „ſed et Indiae bellum infert, quo praeter „illam et Alexandrum magnum nemo penetrauit." Parum abſum quin ſtatuam Kadlubkonem etiam imitatum eſſe nar-rationem Iuſtini de Pentheſilea, [19] quae virum auerſata ſit; nomen Wandae ſcriptor addidit, vt hiſtoriae patriae conueniret. Similiter narratio p. 7. de vite; vitis hoc regnum eſt; atque illa alia de modo regem eligendi; cuius equus prior ad metam peruenerit; videntur a ſcriptore ad Iuſtinum expreſſa eſſe. Nam hic de Aſtyage narrat: vi-diſſe per ſomnum ex naturalibus filiae vitem enatam, cuius palmite omnis Aſia obumbrabatur; idem Darium noctu aſtu

17) Legendum Byſancium ex chronico Bohemiae c. 2.

18) Anonymus prior Lechitis ſcripſerat

19) Nicolaus Henelius ab Hen-nenfeld in Annalibus Sileſiae tom. 2. Sommersbergii pag. 199. fere eam in ſententiam venit: „Venda haud aliter quam Pentheſilea illa Orithyaque virgo.

aſtu ſimili vſum, cum ſtatutum fuiſſet, vt ille rex fieret, cuius equus primus edidiſſet hinnitum; Darius igitur per equi cuſtodem rem feliciter procurauit, atque Kadlubko de aſtutia ſimili narrat, et paulo poſt ſequitur ſimilis narratio, parum felici fato Darium vſum fuiſſe. Sed de his vnumquemque ſuo arbitrio vti patior. [20]

Obſeruaui praeterea Kadlubkonem verſus amare mirum in modum, quod debebat editor recentior non negligere ſed diſtinguere, vt facilius in oculos incurrerent. Non piget indicare pleraque iſta carmina [21] vt res ſit minus obſcu-

20) Argyraſpides certe Kadlubko ſimiliter habet ex Iuſtino eodem; Poloni enim nunquam vel fando inaudierunt de illis. Nec eſt dubium ſcriptorem de ſuo confinxiſſe, Alexandri et Ariſtotelis epiſtolas. Sed et Bucephalum nigrum p. 25. habet ex Alexandri hiſtoria.

21) Pag. 3. „Nec enim lex iuſtior vlla,
„Quam necis artifices arte perire ſuà.“
Pag. 7. „Si latet ars, prodeſt; confert deprenſa pudorem.
„Alter honoris onus fert, ſaepius alter honorem.
Pag. 9. „Eloquar an ſileam? pudor eſt aperire pudorem.
Pag. 11. „Quid gratum, quid dulce, pium, quid grata voluntas;
„Nam paleas operis aurea mens operit.
Pag. 14. „Nec ſemper feriat, quocunque minabitur arcus,
ibid. „Turpe viris, non eſſe viros, ſeruos trabeari.
„Turpe teri luteo candida colla iugo.
item verſus.
„Non pete, quos natura vetat tranſcendere fines,
„Nec pete, quod iuſto pondere non trutines.
Pag. 15. „Heu miſer expirat metalli pondere feſſus.“ item
„Neſcio quem blandus flos rerum ſpirat odorem,
„Si poſcis recte, ſi non quocunque modo, rem,
„Occupat extremos ſcabies: mihi turpe relinqui.
Pag. 16. „Vis abolere neſas? aperi ſcelus, indica culpam,
„Culpa ſepulta reum prodit; rea prodita ſoluit.
„Clauſa cutis virus nutrit, aperta fugat.
Pag. 17. „Spes vtriuſque ſpei, fauor et ſapor eſuriei etc.
(Nam hos poſtea illuſtrabimus, cum ad Martinum ventum fuerit.)
Pag. 21. „Quos prius expectet, aut quos prius impetat hoſtes
„Sit piger ad poenam princeps, ad praemia velox.
Pag.

obſcura: talia igitur carmina quaſi nimis ſedula ornamenta omiſit Boguphalus aliique ſcriptores. Atque eſt nimis copioſus in locis communibus Kadlubko, fingendiſque orationibus.

Quod narrat de Leſticone 2. p. 8. eum in habitu ſordido prius thronum conſcendiſſe, ſumtisque regiis veſtibus iſtos paupertatis panniculos iuſſiſſe in ſupremo orcheſtro collocari — quaſi diceret, noli extolli etc. opinor non differt ab iſto alio, quod exſtat in chronico Bohemico, quod excitauimus c. 3. fine: iſtum poſt Libyſſam principem Przemisl, qui ex agricola ad eam dignitatem euectus fuerat, ſecum tuliſſe calceos et cothurnum, de ſubere factum: „vt videant poſteri mei quod ſint de pau„pertate in principatus ſolio locati. Eadem fere leguntur in chronico Bohemico tom. 2. Pezii p. 1022. ducem e ruſtico peram impoſitam ſuper veſtimenta regalia portaſſe ſecum et mandaſſe ſeruari in eam memoriam etc.

§. V.

Non rarae ſunt gloſſae additiones et interpolationes in Kadlubkonis commentario, e. c. p. 13. „inter crepun„dia

Pag. 22. „Mitibus eſt mitis capris leo, tigribus aſper
„Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Pag. 25. (2 alii minus certi poſtea illuſtrabuntur ex Boguſalo)
„Quae cum rupe gerit, praelia, teſta perit.

Pag. 26. „Sic manus haec eadem vulnus opemque tulit.

Pag. 28. „Confundunt acies, et ſtant hinc inde phalanges
„Ferrea ſtant nemora (et) ſtant pila minantia pilis,
„Quorſum quaeſo furor, quorſum miſeranda iuuentus.
„Nam furor eſt mergi velle cruore ſuo.
„In te prona ruis vitae tua „tela reſoluis.
„In te luxuriat ſeditioſa ſitis,

Sed haec indicaſſe ſufficiat; editor talia ignorauit.

„dia alterum Herculem nouales expertum delicias. (Cre„pundia dicuntur a crepitu ſiue ſono, qui ob ſopiendos „infantes perſonat). Iſta ſic incluſa ſunt alius ſcriptoris. Pag. 19. „Agunt manubias, ducem Morauiae Suentopolk „tergo conſpicantur. (Manubiae ſunt praedae, quae ma„nu ducuntur. [22] Porro cum Boguſalus [23] ſaepe exſcripſerit Kadlubkonem, ſaepe corrigi alter ſcriptor ex altero poteſt, quod omnino miramur, non attendiſſe editorem Kadlubkonis nouum, qui aliquot centum loca in iſto corpore rerum Sileſiacarum et in ſuo Kadlubkone emendare potuerat, quae ſaepe ſunt ſatis inepte et barbare excuſa. Minora eius rei documenta praetereo, cuius generis eſt et p. 8. quod excuditur: „ex his et aliis thoris minus le„gitimis perhibetur hic Leſtico filios ſuſcepiſſe; nempe legendum erat: „filios XX. ſuſcepiſſe. Pag. 24. „Sic cum „ibi nihil proficeret; legendum erat „ſed cum et ibi etc. Pag. 25. — „tranſuolat dente fulmineo „quod caret omni „ſenſu; legendum erat „enſe fulmineo. Sequitur: Quippe „vincit conflictu lapidis, ollam, quo ictu petra ſtat inui„cta; quae cum rupe gerit praelia teſta perit. Hic Boguſalus p. 47. verſus exhibet plures: iuxta verſum: „Vincit „conflictu lapis, olla ſuo cadit ictu, petra ſtat inuicta, fo„veas fert olla quaſi icta. [24] Quae cum impegerit, praelia „teſte gerit; legendum erat: Quae cum rupe gerit teſta. Sed operae vix pretium videtur, his nos iam immorari, etſi

22) Sic et p. 14. exceptis bipennalibus et ſpatariis, (ſpata eſt gladius ab vtraque parte acutus, quae vulgariter ſzabla dicitur.) Tales gloſſas Boguſal in ſuo Kadlubkone non videtur habuiſſe.

23) Boguchwalium ſcribere ſolet Princeps Celſiſſimus Iablonouius, nec dubito tantam auctoritatem praeferre noſtris hominibus linguae minus peritis.

24) Hic verſus aut vitio non caret, aut ſic intelligendus: quaſi, leuiter tantum icta olla foramina foueas fert.

etfi ius et fas fuerat, editorem nouae editioni lucem et praeftantiam illam conciliatum ire, quam facillime poterat. Illud potius admonemus, p. 30. fatis patere illa omnia, quae iam leguntur: „Anno incarnationis Domini „MCCV. dux Miesko etc. non effe ab eadem manu; non effe Kadlubkonis, quia non folum nunc defignantur anni, quod ante non fiebat, fed etiam confufe ac temere fcribuntur quae pag. 31. fequ. leguntur, ipfe autem Vincentius, vt p. 37. clare defignatur, iam anno 1232 mortuus fuerat. Igitur quo tandem modo ille poterat annotare, quae poft ipfius mortem acciderunt? Eft et illud fatis clarum argumentum Kadlubkonis operam non tum demum p. 33. abfolui, vbi dicitur, („explicit chronica Polono„rum; fcias autem, quod eam compilauit Vincentius Kad„lubkonis) fed commodum eo in loco quo obferuamus annos addi p. 30. quod ibi fcribitur, „qui dolofe Cracouiam fubintrauit etc. de ea vero cauffa atque hiftoria eiusque doli indole nihil omnino in ifto Kadlubkonis libello, Gedani excufo legitur; narratur vero a Bogufalo p. 54. Atque cum hic p. 30. fcribatur: „Leftko nam„que tamquam primus genitus Cracouiam-poffidet:“ ille Bogufalus pag. 56. fic fcribit: „poffidet et poffidebit in aeternum. Debebat igitur illa compilatio iufto interuallo et difcrimine feiungi ab iis, quae antea leguntur. Nam qui vel negligentius perlegerit pag. 32. feq. is partim animaduertet, compilationem iftam effe alius ingenii, confiliique et modi; conferatur de Daniele Ruffiae tomus 2. Sommersbergii p. 76. de Salomea ibidem p. 77. Iam poft numeros maiores redit minor, fub finem p. 31. de Kynga [25] nata eft anno 1203. et primam vocem protulit,

25) Hoc eft Cunegunda filia Belae regis Hungariae.

Aue Maria, quod Boguſal narrat p. 60. Porro p. 32. Kadlubko dicitur ſcribere de praelio in Suchdal [26] anno 1243. de quo narratur p. 37. poſtquam terminus chronici Kadlubkonis p. 33. iam indicatus fuerat. De Canoniſatione Stanislai, quod p. 32. ſcribitur, exponit Boguſal p. 65. Leſtkonem per archangelum Michaelem monitum ſcripſit idem Boguſal p. 41. Itaque quod p. 33. poſt monitum de Vincentii chronica ſequitur: nunc quoque veniam ad annales hiſtoricos carptim ſuccincte atque breuiter conſcribendos: non ſic eſt intelligendum, quaſi ea, quae iam antea legebantur, (ante illud: „explicit chronica Polonorum etc.) ſunt omnia Kadlubkoni tribuenda; ſunt enim hominis alius, qui alia poſt Vincentium collegit. Ex iſtis annalibus illud, de Zemomisli filio, Miesko, i. turbatis habet Boguſalus p. 24. quod notatur de metis ferreis in Sawa [27] deſumtum eſt ex Martino p. 60. de corona autem cur Hungariae non Poloniae tum a Papa data fuerit, ablegat p. 35. in ſubſcriptis chronicis plenius continentur. Nempe exſtat illa narratio ſiue fabula p. 76. Ergo ille compilator ſumſit ex Martino Gallo. Illa vero annalium hiſtoria p. 35. de aliquo potente a muribus vexato, legitur etiam in Martini Poloni chronico ad annum 1068. editio qua vtimur Baſil. 1559. fol. male legit, a muribus circumuallatus eſſet, nil ei profuit, et cum eſſet innumerabilis etc. Sed ex MSčto legendum: circumuallatus eſt, et cum eſſet etc. male enim ex inferioribus id huc translatum eſt; narrant etiam Germani ſcriptores de milite quodam et de Poppone comite a muribus comeſto. Pag. 36. annales bis idem ſcribunt, ſub a. 1117. „Henri„cus 4. Poloniam intrauit etc. atque a. 1139. „Hoc tem„pore

26) Rectius Suchodol ſcribitur.
27) Legendum eſt Sala, Slauis Solaua.

„pore Henricus 4. etc. Porro multa etiam leguntur in iftis compilationibus, quae tom. 2. Sommersbergii p. 82. 84. 92. occurrunt: vt dubitari nequeat, legi hic et ibi compilationem, parum diligenter factam. Iam vero paulo poft et p. 38. fcriptor diligentius ipfe notauit in his annalibus res miras horrendas aut inufitatas loco hiftoriae politicae. Ex p. 41. patet auctorem excerpfiffe e quodam hiftoriographo, quem ibi fupplere audet. pag. vero 43. clarum eft, aliquam collationem cum alio exemplari incipere, ita enim admonetur: „Scias quod in fequenti cro„nica multa per faltum demta atque per faltum fcripta non „funt" vt eft illud ftatim circa finem prologi poft verbum („noftris praeconiis adaugeamus) ita habetur fub tali figno. [28] „Caeleftis alimoniae etc. Item inferius cum agitur de Boleslao Chobri etc. poft illa verba („quod il„la vix credere potuit) ftatim fequitur; „tunc demum et „pollicem fuum etc. Item inferius videlicet de Boleslao occifore S. Stanislai etc. habetur fuperius ante illud capitulum („fucceffit autem Boleslao pudico.) Atqui hoc capitulum („fucceffit autem Boleslao [29] pudico Leftiko ni„ger etc.) legitur p. 32. vnde clariffimum eft, quod iam notauimus, illam partem, quae annis numeratis conftat, effe additionem alius, nec enim capitulum [30] patitur annos numerari; atque hic annotator, qui p. 44. comparat et inter fe confert exemplaria de Boleslao, fuo tempore non vidit iftos annos defignatos, aliter numerum anni addi-

28) Nempe fuit afterifcus aut aliud fignum; fed editio Gedanenfis tale fignum nec ibi addit, vbi deeft, nec hic vbi fuppletur.

29) Boleslaus quintus feu pudicus mortuus 1279. d. 10. Decembr. Lefcus 5. feu Niger mortuus 1289. d. 30. Septembr.

30) Capitulis diftinguebant chronica, annalibus vero capitulorum nullus vfus eft.

addidiſſet, loco capituli. Iam vero oculis videre eſt, illud, quod porro ſcribitur p. 44. infima: „aſſequitur, quia „numerum occiſorum non aliter ſcire potes etc. plane non cohaerere cum iis, quae in hac editione Gedanenſi antecedunt. Adeo iſtae notationes de aliis exemplaribus hic hiſtoriam turbarunt. Nam quae iam p. 45. narrantur, pertinent ad Boleslaum Krzywouſti. is anno 1102. ſucceſſit patri, noſter vero compilator p. 43. iam numeraueuerat 1378. ergo clarum eſt, iſta omnia minime pertinere ad eam ſcriptionem et narrationem quae per hoc („aſſe„quitur quia numerum occiſorum etc.) continuatur. Hoc fragmentum igitur ſeu haec pars longe alterius auctoris [31] debebat ab editore diligenter diſtingui et ſeparari.

§. VI.

Breuiter illuſtrabimus, quod putamus haec omnia eſſe Vincentii ipſius, licet librarius interſeuerit, quaedam, ex aliis chronicis. Quae hic leguntur poſt illud, („aſſe„quitur quia numerum etc.) p. 45. habentur; eadem ſunt in Boguſalo p. 33. 34. aliquando copioſius, ſed et non raro iiſdem verbis, vt ille ſolet. Atque ſtatim in illa negligentiſſima Boguſali editione emendare poſſumus ineptam ſcripturam; „reſedit iuxta verſus: ſic ſenio vires pedibus „timor addit, alias Pomorani cautem, etc. Legendum ex noſtro hoc Kadlubkone: „ſic ſenio vires, pedibus ti„mor addidit alas, (non: alias) quos licet infirmos adiu„vat ipſa manus, (ſic alter verſus exſtat in Kadlubkone) i. e. auxilio ſuorum et manibus tollitur. Porro quod et alibi obſeruauimus, ſequitur in Kadlubkone „non ſolum „illum

31) Nempe compilator hic et librarius, et quaſi vnus auctor, ille vero ſcriptor cuius exemplaria confert, eſt alius. Ego puto eſſe omnino Kadlubkonis haec capitula.

„illum decimis et primitiis abrenuntiare iubent etc. hoc ſignum etc. luculenter oſtendit, copioſius auctorem ſcripſiſſe, cum et apodoſis deſit; ſcilicet: ſed etiam. Iam porro: „Poſt haec imperator Henricus ſuſceptae non imme„mor iniuriae etc. legitur in Boguſalo p. 35. Iam noſter Kadlubko p. 46. „quibus reſcribit Boleslaus, fuco nihil „ignauius etc. hic redit hoc ſignum etc. Solet enim Kadlubko declamare, emendandus vero eſt textus ille illius: „tutius eſt paucorum ſaluti non parcere, quam puſillanimi„tatis ignauia Polonos ad diſcrimen adducere“ in Boguſalo legitur rectius: „quam plurimos ad diſcrimen etc. Iam longo ordine Boguſalus et noſter ſcriptor pari quaſi paſſu procedunt; expeditionem tamen in Daniam, quam fabulam Boguſal perſcribit, p. 36. (de Pyothocone) non ſcripſit Kadlubko. In narratione Kadlubkonis p. 47. de bello Ruſſico redit illud ſignum etc. — „docet quantae „ſit infamiae ſeruitus etc. nempe librarius declamationem abrupit. Pars ſupereſt in Boguſalo, atque Kadlubkonis textus tam eſt obſcurus, vt intelligi nequeat hic ſine Boguſali ſubſidio. Porro p. 49. ſimiliter breuius deſcripſit librarius; Boguſalus enim p. 40. et plura habet et carmina, noſtro tam amata et vſitata; falſo tamen excuditur: „concurrunt acies et pila imminentia pilis. legendum: mi„nantia. exſtant plures verſus in Kadlubkone pag. 28. Porro p. 49. legimus in noſtro iſtos verſus: „Alter Ale„xender, alter Kato, Tullius alter, non minor Alcida, „ſed agilior hoc et Achille“ quos Boguſal. p. 40. omiſit, qui et breuius cetera deſcripſit, de teſtamento eius; legendum vero eſt in Boguſalo p. 41. „ceſſat, pro, ceſſit. In Ladlubkone redit p. 50. illud ſignum decurtatae orationis etc. De ſucceſſore Wladislao, filio, ſimiliter ambo conueniunt ſcriptores; emendandus tamen non raro Bo-

guſalus,

guſalus, vt: „quem parta regni particula contentum“ legendum ex Kadlubkone, „quarta“ in hoc multa eſt declamatio; abeſt tamen verſus: „Femina rara bona etc. Ceterum narrat Boguſalus multo copioſius p. 42. quam noſter p. 40. 41.

Sequitur Boleslaus Criſpus; conueniunt porro hi ſcriptores ſic, vt facile tamen Kadlubkonem diſtinguere a Boguſalo liceat: in hoc corrigendum, „quia quod flamen „oleum, hoc ſolet adoleſcenti exhibere libertus“ legendum ex Kadlubkone, „quia quod flammae oleum etc. Porro et legendum: „Wladislaus ſui non immemor etc. omiſit tamen Boguſal de rege Pragitarum; quod exſtat in Kadlubkone: cetera conueniunt; alicubi alia eſt phraſis, vt in hoc: „bicorne problema ei proponitur; in Boguſalo, dicitur: „bina ei electio proponitur. Pag. 52. in Kadlubkone legendum: „non minis inſiſtit ſed precibus“ excuſum falſo fuit, „non minus. Cum Kadlubko ſemper ſcribat Sileucii, Sileucia, ille ſemper ſcribit Szleſii; corrigendum vero eſt: „illiusque in rebus paretur diſpendium; ex Kadlubkone legendum: „nullisque in rebus pa„retur etc. porro p. 44. legendum eſt: „autem lacus, non, locus, aut, lucus, quorum illud falſo legitur in Boguſalo hoc in Kadlubkone; in iſto etiam legitur: „ex tunc Bo„leslaum bellici deſeuire triumphi; „deſeruere“ legendum ex noſtro. Succeſſit Mieszko; pari paſſu et hic procedunt ambo ſcriptores: noſter p. 52. 53. ſeq. Boguſal. p. 44. 45. Corrigendum in noſtro p. 53. ima: „turpe eſt vir„ginitatem ancillarum duris tot calamitatibus premi; Boguſal: „ingenuitatem ancillari; et importabile, tot cala„mitatibus“ legendum ergo eſt: „porro, durum eſt, tot „calamitatibus etc. haud dubie ſic rectius. Declamationem longam Kadlubkonis Boguſal, vt ſolet, in compendium

dium miſit, et clariori hiſtoriae dedit operam, ſeruatis tamen multis periodis et ſententiis, vt ſine Boguſalo intelligi noſter non poſſit.

§. VII.

Iam pag. 55. Kadlubkonis iſta ſunt ſuprema. „Igitur „ſeruitutis loramentum diſrupit, exactoria iuga diſſipat, „tributa diſſoluit, vectigalia relaxat, onus non tam alle„vat, quam exonerat potius, angarias et perangarias ex„ſpirare iubet. Poſt haec ſequitur p. 55. Martini Galli chronicon.

Hic nos iure noſtro miramur, nouam Kadlubkonis editionem tam negligenter et ſegniter procuratam fuiſſe, vt homines quibus patria hiſtoria notiſſima eſſe debebat, notior certe quam mihi, homini extero non ſolum, ſed et longe aliis diuerſiſque in caſtris militandi (theologicae enim eruditioni iuuandae opera mea addicta eſt) tales igitur viros, qui praefuerunt huic editioni, non ſtatim hic animaduertiſſe, et oculis quaſi vidiſſe, quod iam indicabo. Haec Caſimiri hiſtoria, vel per iſta verba angarias etc. ſe ſtatim prodit, vt iam certo ſciamus, hanc partem Kadlubkonis, quam ei ſcriptori ſic iam vindicaui, cohaerere cum iſto ſermone, qui in hac noua editione p. 23. legitur. „Fuit autem huic genti ius quondam ex antiquo „perſolenne, et quaſi conſuetudinis auctoritate approba„tum; vt quiſque potentum quorſumlibet vergens pom„patice, pauperum non tantum paleam foenum ſtipulam, „ſed annonam horreis ac tuguriis perfractis praedatiue „diriperet, et depaſcendam et proculcandam profunde„ret. Erat et aliud non diſſimili temeritate antiquatum, „a potente aliquid et exilis legatiuncula, ad quemlibet „eſſet inſtar perferendum, iuſſi ſunt ſatellites veredis pau-

„perum inſilire, et vnius horae momento infinitiſſima „ſtadiorum millia curſu citiſſimo tranſuolare, quae res ſci- „licet ſeu Podwodi multis multo ſunt periculo; quorun- „dam caballis irremediabiliter eneruatis, quorundam pe- „nitus extinctis" etc. Nec enim opus eſt omnia longo ordine me exſcribere. Iam redeamus ad Boguſalum no- ſtrum p. 46. qui ſic ſcribit: „Ille etiam Kazimirus ſeruitu- „tis loramentum diſrumpere coepit, exactoria iuga diſſi- „pat, vectigalia relaxat, omne onus non alleuat, ſed pe- „nitus exonerat, angarias et parangarias exſpirare pro- „clamans" (Videmus hic Kadlubkonis noſtri vltimas par- tes, quas Martinus excipit in noua editione. Iam porro ſic ibidem pergit Boguſalus) „Fuit autem [32] in regno Po- „loniae quoddam ius conſuetudinis antiquae approbatum, „vt quisque potentum quocumque pompatice vergens (vel „pergens) pauperum annonam horreis et granariis violen- „ter effractis diriperet, equorum pabulis depaſcendam. „Erat et aliud ſimilis temeritatis, induſtria antiquatum, vt „quotiescunque principum nuntii, legationes referrent, „heredum [33] ac in praediis eorundem degentium equos „in itinere coepto capiebant, in quibus parui temporis mo- „mento, infinita ſtadiorum millia curſu citatiſſimo trans- „currebant. Quae res ſcilicet Pothwoda multimode mul- „tis erat periculoſe damnoſa, ſic vt quorundam equis in- „curabiliter eneruatis, quibuſdam penitus exſtinctis" etc. Iam, vt opinor, dubitare nemo poteſt, in noua illa edi- tione alium in locum transferendam eſſe omnem illam partem, quae praecedit Martini Galli chronicon ſicque Kadlubkonem, qui laceratus et ſciſſus fuerat, integritati

ſuae

32) Iam ſcilicet declaranda fuit, iſta angaria et perangaria, eſt igi- tur pars eiuſdem ſermonis qui co- haeret.

33) Legendum ex Kadlubkone veredum.

ſuae reſtituendum eſſe. Quod in Bogufalo porro iſto loco legitur. „Sdzislaus [34] itaque S. Gneſnenſis eccleſiae „archiepiſcopus conuocata Synodo Kazimiro parante — „in animi voce mutuo pronunciant, vt omnes, qui pau„peri annonas vi aut ingenio, aut quocunque — modo „rapuerit, aut accipi iuſſerit, anathema ſit" etc. hic in Kadlubkonis iſto textu pag. eadem 23. habetur: „igitur ne „talia de cetero fiant, iubet aequitatis princeps, ſub ana„thematis — ſacri antiſtites, videlicet Sbislaus Archipon„tifex Gneſnenſis, Gaudentius Lubucenſis. [35] Eſt autem „octonarius primus ſolidorum numerus inter pares, et nu„merus beatitudinum quod ſignat ſolidas eſſe debere con„ſtitutiones et beatos fore eorum cultores, [36] omnes vna „voce pronuntiant, qui pauperum annonas aut vi aut in„genio acceperit, aut accipi iuſſerit, anathema ſit" etc. Hic iam ne multa exſcribam, paucis id dico, et confirmo, Kadlubkonem a p. 24 ſeq. et Bogufalum a p. 47. ſeq. pari gradu pergere, plerumque et verba multa conveniunt.

§. VIII.

Dabimus autem porro operam, etſi ſit res lenta et taedii plena, vt Kadlubkonis illam partem, quae antecedit illam narrationem de ſublata (per Kazimirum) angariarum conſuetudine, accuratius excutiamus; certum enim iam eſt, laceratum et diſruptum eſſe textum huius nouae editionis. Incidit ſtatim in oculos verſus ille, qui in pagina antecedenti 22. occurrit. „Militibus eſt mitis ca„pris

34) Legendum accuratius Zdzislaw, vel Sdislaus.

35) Videntur tres alii deeſſe, vt ſint octo, quia ludit in numero octo. deeſt certe aliquid orationi.

36) Si haec (Eſt autem — cultores) in parentheſin includantur, facilior fit orationis nexus.

„pris leo, tigribus aſper:“ Atqui ope huius verſiculi, quem etiam in Boguſalo p. 32. inuenio, ſtatim feliciter, quaſi Ariadnae filo adiutis ex labyrintho exire nobis licet. Boguſal deſcripſit a pag. 30. regnum Boleslai Krziuouſti; noſter autem Kadlubko id regnum a p. 19. exhibet: iam facillime comparare et conferre licet vtrumque ſcriptorem, quia iam aequis paſſibus procedunt. Corrigendus autem ſupplendusque eſt Kadlubko p. 22. (alia enim non tango) initium epiſtolae habet: „Inuictiſſimo Polonorum „ac maritimorum Monarchae Colomannus Rex Hungariae. „Quicquid amiciſſimorum intimo ratio ſuadet“ etc. Hic ex Boguſalo p. 33. inſcriptio ſic reſtituenda eſt: „quicquid „amiciſſimorum intimo poterit reuerentiae et honoris. „Ratio ſuadet.“ Iam narratur de Boleslai irruptione in Bohemiam et p. 23. de expeditione in Pomeraniam: hic lacuna ingens eſt, et hiatus hiſtoriae magnus, quem miror vehementer, ſaltim nec hic perſpexiſſe eos, qui novae editioni praefuerunt. Deſunt enim hic illa omnia, ad quae hic reſpicitur. „Rurſus Boleslaus propter iniu„rias Pomeranorum ad maritima ſe confert“ etc. Nempe quaenam iniuriae? Feliciter poſt deuorata multa voluendi et reuoluendi taedia, invenio et reperio, remedium et adiumentum certiſſimum. Quod antea non poteram declarare et explicare, quonam pertineat iſtud pag. Kadlubkonis 44. vbi librarius notabat [37] — — „aſſequitur, quia „numerum (pag. 45. pergit.) occiſorum non aliter ſcire „potes, quam ſi arenam maris, aut coeli ſtellas in calcu„lum voces“ etc. Hic feliciter obſeruo, illud aſſequitur, retrahendum eſſe ad pag. 23. vbi ille ingens hiatus nondum fuerat obſeruatus. Ibi enim multa confuſa et perturbata ſunt: quae de Cruswica et iuuene, Boleslao huic appa-

37) Iſta verba notabat: habetur ſuperius ante illud capitulum.

apparente narrantur, verboſius leguntur in Boguſalo, p. 34. atque noſter Kadlubko ſtragem Pomeranorum apud vrbem Nakel ſic deſcribit, — „quid ergo linguis homi„num loquor? nec tantae caedis modum verbis aſſe„quor?“ [38] iam retrahenda eſt omnis narratio ex pag. 45. in hanc paginam 23. (ante illud: „Fuit autem „huic genti“ etc.) „aſſequor, quia numerum occiſorum „aliter“ etc. Iam recte cohaerent omnia, librarius autem tranſpoſuit quaedam, vt ex collatione Boguſali patet, cuius narratio in verbis quibuſdam corrigenda iam eſt: vt illud, „video o! proceres, noſtris inuiſos leuiculis“ quod in noſtro Kadlubkone pag. 23, rectius legitur „video, inquit, „o! proceres, capreas non inuiſas“ leunculis. Sed liceat iam hoc luculento omine noſtri ſtudii et laboris non inutilis a Kadlubkone iſto diſcedere.

§. IX.

Martinum Gallum, quem Gallicum [39] quidem dixerunt, poſt Kadlubkonem exhibet iſta Gedanenſis editio. [40] Sed aliud et auctius exemplar habuiſſe Dlugoſſum intelligimus, qui Martinum Gallicum excitat, eius rei teſtem, quam nos iſto in corpuſculo Galli commemorari non inuenimus. Ita igitur ſcribit Dlugoſſus. [41] „Nonnulli „aſſerunt hunc Leskonem in proelio cum Caeſare Carolo „M. inito victum et occiſum eſſe. ita enim reperi, Mar„tinum Gallicum de eo ſcripſiſſe.“ A. 805. imperator Ca-

 „rolus

38) Sic recte hic legitur; illud „aſſequitur“ p. 44. ima eſt falſum.

39) i. e. Germanicum, vt poſtea declarabo.

40) Quod attinet ad hiſtoriam huius editionis, conferantur ea, quae leguntur in Celſiſſimi Principis Iablonouii Vindiciis Lechi et Czechi. p. 151.

41) Etiam Cromerus ex Dlugoſſo excitauit hanc eandem partem narrationis.

„rolus miſit Carolum ſuum filium in Poloniam, [42] qui „depopulatis omnibus, ducem terrae illius Leskonem oc„cidit, indeque reuerſus ad patrem, eum in ſylua Wos„zego venatui ſtudentem inuenit.“ Ex quo quidem con„ſtat Polonos et tunc et antea bella cum imperatoribus et „regibus finitimis geſſiſſe.“ Haec Dlugoſſus ſic excitat ex Martino Gallico. Quae cum legerem, ſtatim rediit in memoriam, eadem ipſa verba me legiſſe in ſcriptoribus rerum Germanicarum, et Francicarum. Euolui igitur qui ad manum erant; Conradi Vrſpergenſis illud chronicon; is ſub Carolo M. anno 805. haec prodit: „impe„perator miſit filium ſuum, cum exercitu in Boëmiam. „(nempe ille Martinus hic ſcripſit Poloniam, quod ſtatim „interpretabimur) qui depopulatis omnibus, ducem ter„rae illius nomine Lechonem occidit; indeque regreſſus „ad patrem in Voſego ſilva venatui ſtudentem inuenit.“ Haec his verbis Vrſpergenſis ille Abbas: ſic et Chronographus Saxo: [43] ſimillima habet (ex Reginone) ille annaliſta Saxo [44] et paucis verbis mutatis auctor alius: [45] „mi„ſit exercitum ſuum cum filio ſuo Carolo in terram „Slauorum, qui vocantur Bohemi“ [46] — — nomen vero ducis effert Bechonem non Leſconem; ſed obſtat plurium codicum et ſcriptorum auctoritas, quae Lechonem conſtanter prodit. Multo copioſius rem eandem deſcribunt annales Metenſes; [47] ſic quidem vt dubitari non poſſit,

cam

42) Sic hic ſcriptor deſignat, alii Bohemiam nominant.

43) Vide acceſſiones hiſtoricas per Leibnitium iſto anno.

44) Eccardi corpus hiſtoriae medii aeuii tomo I. p. 168.

45) Annonii (Aimoini) Monachi Benedictini, et aliorum eiusdem profeſſionis patrum de regum Francorum origine vſque ad Philippum Auguſtum libri 5. apud Aſcenſium 1514. fol. p. 86.

46) Idem hic auctor alibi ſcribit, Bagemos, Begaminos.

47) Loca Eginhardi, Reginonis, Annaliſtae Metenſis, coniunctim exhibet,

eam prouinciam iſto tempore, bello, Francorumque militibus petitam fuiſſe, quae ſolet Bohemia dici a poſteris, et diſtingui a Polonia. Ita enim ſcribunt: „pars vna exercitus, miſſa per Franciam Orien„talem, pars altera per Saxoniam (opinor eam par„tem deſignari, quam Sirbiam dicit chronicon il„lud Bohemiae, [48]) pars tertia per Baioariam.“ Nempe illi Slaui deſignantur, qui ſaepius a Francis poſtea inuadebantur, et quos tandem ſub finem eius ſeculi a. 890. rex Arnulfus Morauorum Slauorum regulo Suentibaldo addixit.

Hoc illud obſeruare liceat 1) Bohemicae hiſtoriae ſcriptores patrios Lechonem aliquem ducem ignorare, 2) diſcrimen Bohemiae a Polonia locum quidem habere, ſed non ſecum ferre, diſtinctos et diuiſos dominos; itaque cum noſtri omnes ſcriptores in eo conſentiant, in ea regione, quae Bohemiae nomine, geographico iure, diſtinguitur a Polonia, illud bellum geſtum, atque ducem aliquem Lechum aut Lechonem occiſum fuiſſe: ſatis conſtare partem aliquam illarum terrarum iam Francorum imperio fuiſſe ſubiectam, quae antea vni ſubfuit domino Slauico; ſiue proprium homini vni fuerit nomen illud, Lecho, Lechus, Leſcus, ſiue fuerit poſtea eius ominis, vt Can, Supan. [49]) Diſci-

exhibet Aſſemannus tom. 2. operis (Kalendaria eccleſiae vniuerſae) p. 64. qui et annaliſtam Bertinianum et Loiſelianum dicit eadem habere ac iſtos Metenſes. alibi nos iam obſeruauimus, iſtos annales alios ex aliis natos et deriuatos eſſe.

48) Cap. 45. „ad reformandam „Syrbiam prouinciam, quae a finibus Boemiae per viam, qua itur „circum Miſniam per totam Luſatiam vſque ad Saxoniam ſe extendit, vſque Poloniam, ac deinde „iterum ad metas Bohemiae reuertitur.“

49) Legendus de nominis „Lechus“ hiſtorica virtute locupletiſſimus auctor, Princeps Celſiſſimus Iablonouius, in vindiciis Lechi et Czechi

Diſcimus autem ex iſto Dlugoſſi loco, Martini Galli opuſculum, in quibuſdam exemplaribus, additionibus eius generis auctum fuiſſe, quae non ex domeſticis Polonorum ſcriptoribus deſumebantur. Atque illud quaſi commercium litterarium eſt fere cunctis chronicographis latinis inferioribus commune atque proprium; haurit vnus quiſque nouus ſcriptor ex quibuſcunque aliis, qui in manus veniunt.

Quod attinet ad hanc editionem Gedanenſem, iure noſtro miramur, editorem opuſculi non animaduertiſſe, ſatis longam illam proſam metricam [50] pag. 56. 57. qua auctor laudes Boleslai Krzyuouſti deſcripſit: eſt enim rhythmi menſura ſatis luculenta; eius enim generis, cuius ſunt tam multi hymni latini, e. c. „Iam lucis orto ſidere“ etc. qui iambis quaternariis conſtant; ſcriptor tamen multum libertatis ſibi ſumſit, vt verſus faceret. Debebat igitur ſic excudi.

1.

Boleslaus rex inclytus
Dei dono progenitus,
Hic per preces Egidii,
Sumſit cauſam exordii.

2.

Qualiter illud fuerit [51]
Si id [52] Deus annuerit,
Poſſumus vobis dicere
Si placeat addiſcere.

3. Rela-

Czechi p. 129. vbi locus Dlugoſſi exſtat: filii et nepotes ſuccedentes in principatu, paterno et auito nomine dicebantur (Lechus) et p. 135. ſeq. de pluribus Lechis.

50) Rem illuſtrat ille locus, ex auctore appendicis ad chronicon Kadlubkonis, p. 33. qui ſcribit Vincentium illum hiſtoriam de S. Stanislao modo rhetorico ritmizaſſe.

51) Sic legendum loco *fuit*: ita ita enim lex metri et rhythmi poſtulat.

52) Inſerto *id* legimus.

3.
Relatum eſt parentibus
Succeſſore carentibus, 53)
Conflant 54) auri congeriem
In humanam effigiem.

4.
Quam mittant ſancto ei 55) Papae
Vt eis faueat pro ſpe
Votumque deo foueant,
Atque firmam ſpem habeant.

5.
Aurum illico funditur,
Effigies efficitur,
Quam pro futuro filio
Sancto mittant Egidio.

6.
Aurum, argentum, pallia
Donaque mittunt alia,
Veſtes ſacras et aureum
Calicem ſat idoneum.

7.
Nec mora, miſſi properant,
Per terras, quas non nouerant
Praeterientes Galliam
Peruenerunt Prouinciam. 56)

8.
Miſſi munera proferunt,
Monachi 57) grates referunt,
Cauſam narrant itineris
Et qualitatem operis.

9. Tunc

53) Scil. de S. Aegidio, fore vt is prolem adiuuet.

54) Forte: conflent: vt conflarent.

55) Inſerimus *ei*, vt menſura conſtet.

56) Intelligenda illa regio Galliae Prouincia.

57) Eius monaſterii Gallici.

E

9.

Tunc monachi continuo,
Ieiunauere triduo,
Et dum agunt ieiunium
Mater concepit filium.

10.

Et pro puerpra nunciant [58]
Qui miſſi [59] ita faciant
Monachi rem recipiunt
Miſſi redire cupiunt.

11.

Tranſeuntes Burgundiam
Remearunt Poloniam
Ergo grauem inueniunt
Duciſſam quando veniunt.

12.

Sic puer ille naſcitur
Qui Boleslaus dicitur
Quem Wladislaus genuit
Dux, ſicut [60] Deus voluit.

13.

Genitrix Iudith nomine
Fatali forſan omine
Iudith [61] ſaluat populum
Per Holofernis iugulum.

14.

Iſta peperit filium,
Triumphatorem hoſtium
De cuius geſtis ſcribere
Iam tempus eſt inſiſtere.

Hic

58) Excuſum eſt: „et pro puer„pera pronuntiant." Error ſcribendi adeſt; ſed correctio nondum certa: poſſit et legi: „et puerum „praenuntiant."

59) Excuſum: „qui miſſi ſic fue„rant. Sed rhythmus requirit 2. ſimiles vocales. Supplendum eſt, qui miſſi rogant, vt iſta faciant per S. Aegidium.

60) Excuſum eſt *ſic*.

61) Leguntur tres ſyllabae.

Hic incipit ipſa auctoris ſcriptio. Rem vero copioſius deſcribere licet ex pag. 77. 78. [62] atque illa epiſtola, quam Kadlubko deſcribit, p. 17. atque ex Boguſalo p. 28. multum differt ab iſta alia, quae recitatur p. 78. Sed praeterea et aliud carmen lugubre, quod auctor ipſe indicabat, p. 67. 68. debuerat iſto alio ordine excuſum legi.

1.

Omnis aetas, omnis ſexus, omnis ordo currite
Boleslai Regis funus condolentes cernite
Atque mortem tanti viri ſimul mecum plangite.

2.

Eheu! Eheu! Boleslae, vbi tua gloria.
Vbi virtus, vbi decor, vbi rerum copia
Satis reſtat ad plorandum, vae! mihi Polonia.

3.

Suſtentate me cadentem prae dolore comites,
Viduato [63] mihi quaeſo condolete milites,
Deſolata nunc quam fiam [64] heu videte hoſpites.

4.

Quantus dolor, quantus luctus, erat pontificibus,
Nullus vigor, nullus ſenſus, nulla mens in ducibus
Eheu! eheu! Capellanis, eheu ipſis omnibus.

5.

Vos qui torques portabatis, in ſignum militiae
Et qui veſtes mutabatis, regales quotidie,
Simul omnes reſonate, Vae! vae! nobis hodie.

6.

Vos matronae quae coronas geſtabatis aureas,
Et quae veſtes habebatis aureas, argenteas,
Has exutae induatis lugubres et laneas.

62) Ibi tamen deeſt aliquid. muneribus receptis. — mittenti munera (ſua aut gratias) retulerunt etc.

63) Legitur *viduate.*

64) Legitur *ſim* quod alienum eſt a metro.

7.

Eheu! Eheu! Boleslae cur nos pater deſeris?
Deus talem virum vnquam mori cur permiſeris
— — — (*hic deeſt verſus tertius.*)

8.

Tota terra deſolata, rege ſuo vidua
Sicut ſuo poſſeſſore facta domus vacua
Tua morte lugens mens eſt, nutans et ambigua.

9.

Tanti viri funus mecum omnis homo recole.
Diues, pauper, miles, clerus, inſuper agricolae
Latinorum et Slauorum quotquot eſtis incolae.

10.

Et tu lector bonae mentis, qualiſcunque legeris,
Quaeſo motus pietate lacrymas effuderis,
Multum eris inhumanus ſi non mecum fleueris.

Facile huius generis res obſeruari poterunt, ſi editoris diligentia vel mediocris acceſſiſſet. Pergimus autem ad quaedam alia obſeruanda. Ille Martinus poſt aliquam geographicam deſcriptionem, omiſſis ceteris cunctis narrationibus de primis heroicis temporibus,[65] hiſtoriam ipſam orditur a Piaſto. pag. 58. Illa (Gneſnen) nidus interpretatur Slauonice. „Popel (Popilius) — ad eorum tonſu„ram grande conuiuium praeparauit:" leguntur etiam in anonymo Sommersbergii ſecundo, p. 16. vt ſatis certum ſit, aut anonymum ex Martino, aut vtrumque [66] ex alio quodam ſcriptore hauſiſſe. Emendandus eſt ille anonymus; excuditur ineptiſſime: „ad filiorum ſuorum coniu„rationem grande tunc conuiuium praeparauit;" legendum

65) Nempe Pompilii tempora circa a. 800. deſignantur; quae ante in gente hac geſta ſunt, obſcurius adhuc habent.

66) Quod tamen ego non crediderim; adeo anonymus ſequitur ſcribendo Martinum.

dum erat, „tonſurationem.“ Porro in Martino copioſius deſcribitur de aratore etc. in anonymo breuius — ruſticus ſeu arator Pompilii etc. Iam plura leguntur in anonymo: illa tamen: („de noſtro gaudeatis aduentu, „quoniam per nos omnium bonorum copiam habebitis, „vereque [67] ſobolis honorem“) habentur et in Martino: „bene, inquiunt, nos aduenifſe gaudeatis, et in noſtro „aduentu bonorum copiam, et de ſobole honorem et glo„riam habeatis. Iam in Martino ſequitur: „erat enim ho„ſpitis domeſtici Pazt [68] filius Choſzyſzconis [69] et vxor „eius Repca vocabulo nuncupati;“ pro quo videtur legendum eſſe: „erant in hoſpitio domeſtici“ etc. Porro anonymus mendo non caret, „cumque ad menſam reſi„dentes de variis loquerentur, inquirunt, reſpondit Piaſt, „eſt apud me cereuiſiae vaſculum fermentatae“ etc. Si iam comparamus ſcripturam Martini: „cumque de more „colloquerentur de plurimis, et peregrini, an ibi potus „habeatur, requirerent, arator hoſpitalis reſpondit, eſt mi„tii vaſculum cereuiſiae fermentatae“ etc. Credo iam omnes oculis videbunt, deeſſe iſta, vitio librarii in anonymo, et legendum eſſe „inquirerent“ etc. Iam facile patet, Martini narrationem eſſe copioſiorem atque anonymum ex ea tantum hic feciſſe epitomen: poſt alia enim Martini verba, illa pars, („qui etiam porcellum nutriebat“) exſtat in anonymo ſtatim poſt illa: „ſed quid hoc inter „tantos [70] nihilominus, ſi libet ebibatis, porcellum in„ſuper nutriebat Piaſt paruulum“ etc. Non opus eſt plura me deſcribere, ſatis enim patet anonymum aequis fere

 gradibus

67) Legendum: *veſtraeque.*

68) Ille puta Piaſt, gentis vetuſtiſſimae Piaſtarum auctor et ſtator.

69) *Koſzyſkof.*

70) Sed quid prodeſt hoc tantillum, ſi libeat etc. in Martino.

gradibus ſequi illum Martinum. Corrigendus eſt anonymus in ea oratione: „de porcello vero decem titulae de „carne ſunt impletae.“ In Martino enim rectius „vnde „X. ſitulae Slauonice [71] mirabile dictu, memorantur im„pletae.“ Paulo poſt Martinus ingenii acris et ſubacti ſpecimen luculentum prodit: „narrant etiam ſeniores, an„tiqui, quod Popel de regno expulſus tantam de muri„bus perſecutionem — — expirauit. Sed iſtorum ge„ſta, quorum memoriam vetuſtatis obliuio aboleuit, et „quos error et idololatria defoedauit, memorare negli„gamus, et ad ea recitanda, quae fidelis recordatio me„minit, iſta ſuccincte memorando tranſeamus.“ Praeterit Martinus iſta nimis incerta; ſunt enim incerta, quia Boguſal rem multo aliter narrat: ipſum Paſch ſeu Piaſt per hoc miraculum regem factum, poſtea genuiſſe filium Semouit. Hic quod anonymus in illa narratione conuenit cum Martino, ſatis clarum eſt indicium, eum haec ex Martino hauſiſſe, alia vero, quae Martinus non habet, inde ab initio, ex aliis chronicis, quae p. 16. bis [72] excitantur, ſumpſiſſe.

Sequitur de Meſſicone ſeu Mieszkone, primo, clariſſima et hic ſunt veſtigia Martini in anonymo illo; in Martino, vbi legitur: „quae patri nondum vulnus ambi„guitatis amputauit,“ legendum erat: „nondum credenti vulnus“ Anonymus noſter de ſuo quaedam moralia addit: quibus putauit nomen Mieſco, turbatio etc. explicare. Nos vero hic obſeruamus porro, inde ab illa narratione de

71) Putem legendum in parenthesi (Slauonice) eſt enim Gloſſa, Wktadanie, ſclavice. Seidel dicunt in Franconia.

72) „De muribus — ſicut te„ſtantur chronicae Polonorum etc. „et quemadmodum alia chronica „narrat, Pompilius dicere ſole„bat“ etc.

de Piaſt conuenire Kadlubkonem, p. 11. ſeq. vt obſcurum non ſit, Martini in manibus fuiſſe hunc ſcriptorem, etſi omnes narrationes, quae antecedunt, Martini ingenium paulo excultius aſpernabatur: deſunt tamen deſcriptiones illae de vaſculo cereuiſiae et porcello; Kadlubko potius breuius narrat. Illud vero fertur, (creuiſſe cerevifia) et memorantur (decem ſitulae) reſpicit ad traditionem, quae per manus tradebatur. Tacet autem idem Martinus, quod eſt in Kadlubkone et Boguſalo: Szemouithum inſtituiſſe decanos, quinquagenarios, chiliarchas, etc. quae Kadlubko videtur imitatus eſſe ex Dauidis hiſtoria; porro inuehit in ſeriores illos ſuperbiores et degeneres reges.

Iam p. 60. Martinus narrat: „a. Domini 960. vxo„rem duxit chriſtianiſſimam ex Bohemia Dambrowkam etc. „Kadlubko autem pag. 12. ſcribit: de iſto autem Me„ſcone [73] quomodo illuminatus eſt - quomodo ſeptem „pellicibus omni nocte [74] abutebatur, et quomodo duxit „Dambroukam etc. require in annalibus Polonorum." Hic credo ego Martini iſtum locum p. 60. deſignari, quem Martinus ex annalibus aliis deſumſit.. [75] De Boleslao iam

73) Anonymus ex alia chronica narrat, de Adelhaida, Mezconis ſorore, quam Yeſſe rex Vngariae duxit vxorem etc. Nempe de Geyza videtur narrari; apud noſtros ſcriptores hic Mezko dicitur Miſico, vid. Ditmarus p. 349. Annaliſta Saxo a. 986. qui de Dambrowka Bohemis, Dombrowka Polonis plura narrat.

74) Hoc addidit auctor de ſuo: videtur eſſe ſcholion ſerius: de iſtis rebus nihil eſt in Boguſalo, qui tamen ſtatim Vincentianum chronicon excitat, annales Polonorum hic nominat, e quibus annos 913. etc. deſignat, qui non ſunt in Kadlubkone.

75) Hic ſatis certum eſt, iam ante Kadlubkonem Martinum Boguſalum extitiſſe tam annales quam chronicas Polonorum, ſed in vetuſtioribus rebus eis parum luminis ineſſe, quo quidem ad ſuum ipſius conſilium commode vteretur, putauit Martinus.

iam pergit narratio: hic Martino non minus conuenit cum Kadlubkone: qui elegantius iſtam metam ferream in flumine Sala apud Saxones ſic deſcribit p. 13. „imo Saxo„nes indomitos adeo perdomuit, (haec verba ſunt etiam „in Martino) vt in Sala, quam nos dotana dicimus, flumi„ne columnam fecerit ferream, quaſi quibuſdam certe „gradibus ſui finem imperii ſtatuens.“ Ille anonymus p. 17. deſcribit: „et in flumine Salo fixo palo fines fecit.“

In Kadlubkone multa videntur deeſſe de hoc Boleslao: nam nihil ſequitur praeter haec: „hic B. Pruthenos „in tanta ſtrauit copia, donec flumen cruoris concretum „eſt coagulo. Poſt mortem eius anno 1025. filius eius „Mezko“ etc. Sed Martinus multo copioſius porro narrat de Adalberto Apoſtolo; de Ottone imperatore, qui ad Adalbertum peregrinatus fuit: et quod magnifice Otto ſuſceptus fuit, quod Boleslaus in Kiow p. 62. gladio in auream portam percuſſit, — tandem ſimiliter ſcribit, „tan„tam ſtragem fuiſſe totum Bugum fluuium plus cruoris, „quam fluminis retinere.“ Iam deſcribit eius acies, „de „Poznan 1300. loricati milites, cum 4000. clypeatorum „etc. de Gneſna — de Wladislaw — de Condek.“ [76] Haec habentur etiam in anonymo, p. 18. (ex noſtro Martino deſumta) ſed numeri militum corrupti ſunt. Iſta laudatio Boleslai Chobri pergit in Martino vſque ad pag. 67. tum ſequuntur iſti rhythmi. „Omnis aetas, omnis „ſexus.“ Pleraque etiam in anonymo extant; nihil tamen de hymnis. Iam de Mieskone ſequitur in Martino p. 68. Simillima ſunt in anonymo pag. 21. qui addit narrationem de petita corona, quam Papa dederit nuntio [77] regis

76) Legendum haud dubie: Santek.

77) In anonymo legitur: aſtrictum Epiſcopum, ſed hic p. 34. legitur: Africum. Nomen proprium eſſe debet.

regis Hungariae; quae narratio legitur in editione Kadlubkonis inter annales confuſos iſtos, pag. 34. et multo copioſius p. 79. Porro narratur de Caſimiro: hic p. 13. Kadlubko fortius loquitur: „Series hiſtoriae texitur in „diuerſo; dicunt enim quidam, quod poſt Meſzkonis de„ceſſum vxor eius [78] — aequo violentior viſa, patriae „nobilibus quoslibet ſuorum Teutonorum lixas ſeu co„quinarios praeponere coepit. — Aliis aliter viſum eſt," etc. Martinus fauet partibus reginae, nihil de iſta altera ſententia addit; fauet etiam reginae anonymus ille. Martinus ipſe fatetur p. 69. ſe neſcire, quanto tempore e Polonia eiectus Caſimirus in Teutonia ſit verſatus, addit, „haec in iſta chronica ita ſe habent atque leguntur." Iam vero copioſius narrat de diſceſſu in monaſterium etc. quae leguntur etiam in anonymo. Kadlubko vero tacet de Monachatu et itinere in Germaniam; narrat vero aliter, ex aliorum auctoritate; „mortuam matrem in partu, no„vercam patris eximium amorem in infantem aegre tuliſ„ſe, morti exponi iuſſiſſe etc. Iſtos verſus, „turpe viris etc. „turpe teri etc. „non pete quos etc. „nec pete quod etc. tranſcripſit etiam Boguſal.

Narrat iam Martinus pag. 71. de Boleslao effero ſeu largo; ordo narrandi differt ab ordine Kadlubkonis, quem ſequitur Boguſal; ex Martino vero, (nomine alia chronica) multa iſto ordine ſeruato habet anonymus. Nempe narrat Kadlubko p. 14. de quodam, (quem clericum fuiſſe Martinus et Anonymus addunt, remque Cracouiae

78) Fuit ſoror Imperatoris Ottonis, vt quidam tradunt, ſed accuratius ſcriptores Poloni, ex Mechtilde germana Ottonis, coniuge Herenfridi Bauari Comitis Palat. Rheni fuit Richza vxor Mieſconis 2. quae mortua eſt Saalfeldiae (in Thuringia) anno 1063. d. 21. Martii.

couiae accidiffe,) qui auri in pallio collegit, quantum voluit, fed haec narratio exftat in Martino, p. 72. 73. et quidem verbofius, atque eodem ordine in anonymo legitur. Porro Boleslaum enfe fuo feriiffe Kiowiae portam auream, quod abeft a Kadlubkone, narrat Martinus p. 71. anonymus eodem ordine, de Grodek, Kiow etc. narrat ex alia chronica, fcil. noftri Martini. De Polonis folus Kadlubko et Bogufal narrant, quod dixerit Boleslaus: „eos non delectat aurum habere, fed habentibus 79) im„perare.“ De Bohemis vero conueniunt Martini verba, (p. 72. „indignum eft, inclinari tantum regem ad infe„riores“) cum Kadlubkone p. 15. habet et anonymus, fed fic, vt clara fint veftigia copiofioris orationis, quam Boleslao fcriptor aliquis ab his adhuc diuifus tribuerat: „emendandus tamen ibi anonymus, cupiens de manibus „gentilium primam liberare;“ legendum erat: *patriam*. Pag 74. in Martino debebat corrigi: „item feptimus 80) „annus voluebatur“ etc. loco *vnus annus;* quae iam fequuntur, „nobiles comperta vxorum proditione domum re„diiffe“ etc. habentur etiam in Bogufalo; etiam „de fae„vitia in nobiles, conqueritur non folum, apud hoftes „fe defertum“ etc. iifdem verbis legitur in Bogufalo. Ifta narratio, quam intemperanter erga regem Poloniae Vladislaum fe gefferit, quae in Kadlubkone eft p. 16. atque p. 44. copiofius ex collatione librarii exhibetur, etiam in Bogufalo legitur, fed in Martino noftro nondum exftat. Notatu dignus autem eft ille Martini locus, p. 77. „ideo „forte ad haec tempora, regalia infignia, coronam, fce„ptrum et lanceam (in) armario Cracouienfis ecclefia fer-

„vat

79) Haec particula reddenda Bogufalo.

80) Fuit VIImus per compendium fcriptum; fed res patriae notiffimae effe debebant editori.

„vat recondita, vſque dum ille veniat, cui haec ſunt repoſita; illud autem omen de ſciſſo et redintegrato corpore Stanislai, quod fatum regni deſignet, non habet Martinus, narrat vero Kadlubko et Boguſal nempe poſt Martinum.

De Mieskone Boleslai filio, vix lineam interſerit Kadlubko, nimis parcus hic epitomator; ſatis multa habet Martinus; haec in epitomen ſic miſit anonymus, vt pateat ex verbis, eſſe ex Martino.

De Wladislao patre tertii Boleslai, ſequitur in Martino p. 77. de miraculoſo filio, hic ſcribitur p. 78. Franconem Polonienſem epiſcopum dediſſe id conſilium; „Francone antiſtite ſuggerente" ſcribit Kadlubko p. 17. Boguſal nominat Lamberti epiſcopi Cracouienſis conſilium: anonymus vero ille: „acceſſit forte Poloniam qui„dam deuotus epiſcopus, ſuadens" etc. Parum abſum, quin putem hunc anonymum intellexiſſe Francum ſeu peregrinum iter facientem; videtur autem initio nullum nomen epiſcopi innotuiſſe; poſtea alius aliter ſuppleuit. Hac eadem p. 78. Martinus exhibet partem alius hymni, quem commodum obſeruo, cum relego; eſt autem hymnus ad Egidium. Sunt verſus leonini hexametri.

„Euge ſerue Dei, caput huius materiei, 81)
„Perfice ſeruorum, quae poſcunt vota tuorum
„Pro puero puerum 82) pro falſo perfice verum
„Confice carnalem etc. 83)

Anonymus ſcribit: „triduano ieiunio peracto, Iutta par„tum effudit." ſcil. ſic poſtea audiuerunt. Iudith igitur

 aut

81) Sic enim corrigendum pro materie.

82) Sic corrigo fuerat. pro puero primum. Senſus eſt, pro hoc aureo puero puerum etc.

83) Illud etc. haud dubie plures verſus ſecum habere debebat, quos librarius, vt ſatis notos, aut iam inutiles omiſit. Auſim ſupplere verſum — „qui miſerunt tibi talem.

aut iam fuerat grauida, aut ille miraculoſus partus fieri coepit, cum legati iter commodum ſuſciperent etc. Atque quia iam Kadlubkonem, qui pag. 17. de hac re narrat, relego, feliciter ex iſto hymno ſeu carmine precatoris aliam partem inuenio; vnde patet Martinum iam vetuſtum hymnum excitare. — „Sacer ille conuentus triduanum „(in) orationibus continuat ieiunium cum hac pſalmodiae „et precum inſtantiori vigilantia (iam verſus diſtinguo.)

„Spes vtriuſque ſpei, fauor et ſapor eſuriei [84]
„Creſcit ſaepe tuo [85] nectare noſtra ſitis
„Nux nuce noſtra caret, cedrusque virentior aret
„Flos alit examen: flos ſine flore tamen
„Annue! [86] cur moeres [87] tribulis datus eſt rubus heres,
„Annue [88] ne ſoboles ne deſit maſcula proles,
„Vota preceſque notes, annue [89] namque potes
„Corna parit cornus, cur ſine ſtipite fumus [90]

In Epiſtola illa, quae poſt librum primum legitur pag. 79. multa ſunt veſtigia ſedulitatis moleſtae, quam ſcriptor adhibuit: rhythmos ſaepe affectauit.

In Epilogo initium eſt duorum verſuum:
„Nobis aſtate, nobis id opus [91] recitate
„Per vos, ſi vultis, opus eſt laudabile multis.

Ipſa narratio etiam in anonymo veſtigia ſui non obſcura prodit; deſcriptio vero Kadlubkonis p. 18. conuenit, vt ſolet

84) Hic praeceſſit ille verſus, qui eſt primus in Martino, „Euge „ſerue Dei, caput huius materiei.“

85) Aut auctor neglexit rhythmum, aut nondum recte habet verſus.

86) Legebatur *anime.*

87) Legebatur *beres* niſi quis credat, quod ſaepe factum eſt, quantitatem ſyllabae non attentam fuiſſe a poeta.

88) Legebatur *anime.*

89) Legebatur *anime.*

90) Sic legitur: audeo corrigere *ſtirpe.*

91) Sic ſcripſimus; legebatur *boc.*

ſolet, cum Boguſalo de caſtro Nakel et nocturna deluſione tantum legitur in Martino p. 87. et anonymo illo, de Sbigneo ſimiliter, hi duo eximie conueniunt: de Kruſwitia narrat etiam Kadlubko p. 18. „atque inde poſt patris „mortem (omiſſis aliis iuuenilis virtutis documentis") copioſiſſime de Sbigneo narrat. Id miraculum de S. Adalberto Gneſnae ex Martino habet etiam anonymus: item de apro etc. quae recenſere nihil attinet, ſed a pag. 86. redit quaedam conuenientia cum Kadlubkone p. 19. de Zbigneo, qui ad nuptias Boleslai venire recuſauit; plura in anonymo: quem Kadlubko dixit Wislaum, aurea manu donatum, Martinus p. 17. ſcribit Zelislaum: Seſislaum anonymus; in anonymo alia inſunt de Plawis Alemannis etc. p. 88. in Martino et Kadlubkone eſt illa eadem phraſis; „ſicut Machabaeorum imitator," et alia eadem: multa autem iam in Martino inſeruntur, antequam de caſtro Kozle narrat, p. 89. de quo Kadlubko ſtatim p. 21. ſcripſit illa, quae iam demum in Martino legebantur. Epiſtolam ad Sbigneum Kadlubko verbis aliis et breuius exhibet, (eadem etiam ſeruat Boguſal) Martinus ſcribit longiorem: verſus tamen ille, *quos prius expectet, quos prius impetat hoſtes*, ſatis oſtendit, Martinum non caruiſſe ipſum exercitio quodam poetico: multa etiam copioſius diſtinctiusque narrat Martinus, quae non ſunt in Kadlubkone; caſtrum Gologum melius in anonymo p. 29. ſcribitur Colberg, atque preſſe verba Martini ſequitur; hic Martinus multa omittit de Sbigneo, noctu capto etc. quae etiam habet Boguſal, omiſit vero illa anonymus Epitomator. de Saxonibus tempore Caroli M. in Pruſſiam tranſeuntibus, eadem ex Martino narrat anonymus; illud etiam miraculum de Pomeranis, qui Martinum Gneznenſum voluerunt rapere, ſic legitur, ex anonymo in Martino

tino p. 92. corrigendum: „presbyter etiam ſicut erat pa„ratus“ (ad miſſam) excuſum fuit: „Poſtquam enim ſecu„ti ſunt:“ etc. Iam in Kadlubkone eſt ingens illa lacuna, de qua iam antea admonui. Copioſius vero narrat anonymus vſus quibuſdam Germanicorum ſcriptorum adiumentis. De Magno vero et Simone, quem cum Moſe comparat Martinus p. 93. ſimiliter habet anonymus. Prologus in librum tertium imitatur rhythmum, „vt ille ſe„cundi — praeterire — — tranſilire — dilatarem — exaltarem — reportarem, et ſic porro: Epilogus conſtat his rhythmis:

„Deo vero laus et honor, regnum, virtus, gloria,
„Pomorana ſubiugatur omnis ſub potentia
„Boleslao triumphanti, ſalus et victoria.
„Ad honorem Ieſu Chriſti referamus omnia“ etc.

Illud annoto, auctorem videri germanice intellexiſſe; ſic enim rhythmizauit.

„Septingenti conflixere cum XXIX millibus
„Namque nocte praecedente fecerunt excubias etc.

Hic ſignum numeri metri cauſa legitur per ſyllabas duas neunzwanzig. [92] Illud nomen Gallicus idem forte eſt, ac Germanus, quod vtrum ab aliis iam obſeruatum ſit, ignoro, hac vero occaſione explicare licet, cum metrum poſcat diſſyllabum Germanicum. Sic explicat anonymus primus Sommersbergii pag. 2. „Galli. i. e. Germani, „cum

92) In Martino ibi leguntur inter alia ea, quae modum oppugnandi et defendendi deſcribunt: „Teu„tonici arietes ferreos turribus ſub„ducebant; poloni vero callibera„tas ſtellatas euoluebant.“ Quis hoc intelligat? Anonymus explicat p. 32. „Poloni rotas firmatas „et acutas calybe deſuper euolue„bant.“ Iam facile emendatur Martinus: calybe rotas ſtellatas. Locus eximius ad rem bellicam iſtam. Rotas e muris deiectas deſcribit Anna Comnena lib. 7.

„cum eos patria, i. e. totus occidens non caperet“ etc. Sic alter anonymus p. 50. „cum veniſſet ad terram Bryen-„ſem in villis videlicet Iankau atque Wirbin vbi moran-„tur Gallici“ etc. Hic Germani credo luculenter deſignantur. Nam ſic hic anonymus ab initio, p. 13. „Gal-„los, qui ſunt Germani“ etc. Ita etiam Boguſal p. 19. „Sorabe dicitur — nam Gallici appellant illam regionem „Seruiam," hic Gallici ſunt Germanici. Sic rhythmi procedunt per totum epilogum. Narratio illa copioſa de Henrici imp. epiſtola ad Boleslaum p. 97. ſeq. brevius legitur in anonymo, breuius etiam in Kadlubkone p. 45. nempe loco non ſuo, vt iam notauimus. De caſtro Bithom declamat ſuo more Kadlubko, clariora in Martino p. 99. inde omnia ſunt in anonymo. Iam pag. 100. Martinus denuo rhythmizauit.

„Boleslae, Boleslae Dux glorioſiſſime
„Cum defendis terram tuam quam ſtudioſiſſime.

Paulo poſt deſinit hoc opuſculum, atque preſſe omnino ſequitur illud anonymus; ſed non conſtat, vtrum hoc ſcriptum Martini exemplar mancum ſit, deſintque alia Martini, an vero Martinus hic ſubſtiterit: quod non videtur.

§. X.

Iam ad Sommersbergii corpus accedimus, agnoſcimus quidem beneficium ipſum, quod tot ſcriptores antea ineditos ei debemus, e quibus multum lucis ad omnem hiſtoriam medii temporis deriuari poteſt. Sed iure meri-que dolemus, atque indignamur, tam negligenter et quaſi temere ſine vllo, certe diligentiae et curae, quae impendi debebat, documento iſtos latinos ſcriptores antiquiores

hic

hic excuſos fuiſſe; praeterimus indices nimis pauperes, et fallaces. Nos pauca tantum obſeruamus. Inde poſt initium indicat, ſe vti Kadlubkone eius indolis, qui more dialogico ſcriptus fuerit; cum vero iam vtamur editione Gedanenſi Kadlubkonis, quae vna ſerie ſcribentem et carmina multa inſerentem exhibet; cumque Boguſalus ſequatur talem textum, qualis eſt ille Gedanenſis: vt aut interpolatus, et in dialogos ſeu epiſtolas mutatus ſit antiquior Kadlubko; aut vt ex Kadlubkonis dialogico opere aliquis epitomen fecerit hiſtoricam, eo modo, quo eam legimus in Gedanenſi editione. Nos illud praeferre audemus, putamuſque poſtea interpolatum fuiſſe illud opuſculum. Anonymi haec ſcriptio debebat certe accuratius excudi; ne minora menda attingam pag. 6. illud indico: „de humana nil aeſtimatum eſt defuiſſe felicitate, triſtaba„tur; ſed tandem.“ Hic ſenſus omnis abeſt; deſunt enim poſt *felicitate* illa: „ſed quod ſine prole eſſet triſtabatur.“ Paulo poſt: „Nec Iuditha multa donaria eccleſiis contulit“ legendum erat *Haec*. Inferius: „in loco qui dicitur Pſiepole, id eſt „campus canum“ alibi Pſypole, et poterat facile corrigi. Ceterum exigui vſus eſt illud chronicon primi anonymi. Mirum eſt, eum pag. 4. ſcribere. „Otto 3. intra prandium „in menſa reſidens coronauit Meſiconem ſuo diademate et „ſic imperii feudalem fecit;“ non ſolent Polonici ſcriptores talia ſcribere.

§. XI.

Alter anonymus p. 13. citauit paulo poſt initium Bohemorum chronicas „in cronicis inſuper Bohemorum re„colo me legiſſe[93] quod poſt diuiſionem linguarum factam „poſt

93) Hunc locum eximie illuſtrat, eruditiſſimus ſcriptor, qui ſtricturas edidit in Dobneri de Lecho ſententiam nomine vſus Stanislaus Nalicz Moszczenski ad 2. p. 56.

„poſt diluuium, vt in Geneſi legitur, diſperſae ſunt omnes „gentes, per varia loca, de quibus duo fratres Slaui ſuc„ceſſu temporum pro poſſeſſionibus capiendis, hinc inde „habitacula quaeſiuerint, quorum vnus Czech alter Lech „appellati ſunt, horum tamen vnus, qui Czech dicitur, „Bohemiam perueniens ibidem manſionem elegit. Lech „vero, vbi nunc eſt Polonia, conſtituiſſe dicitur ſuam ſe„dem."

Haec oratio mihi notiſſima fuit; itaque facile redii in memoriam chronici illius Bohemiae, quod Menkenius edidit tomo 3. Corporis Germanicae hiſtoriae, et quod etiam in Ludewigii reliquiis tom. XI. inuenitur. 94) *Hoc* chroni-

94) Cum Menckenii hic tomus 3. in quo chronicon exſtat p. 1617. iam prodierit anno 1730. ille vero reliquiarum tomus XI. qui idem chronicon exhibet p. 128. anno demum 1737. mirari licet, quomodo Illuſtris Ludewigius ne in praefatione quidem vel verbo meminerit? Eſt enim idem liber. Menkenii editio ſecum fert ſcriptorum aliorum Bohemicorum collationem in notis additis; Halenſis vero illa, etſi ſerior, caret omni adiumento, quod tamen et facillimum erat, et abeſſe non debebat. Ego vero et illud miror, Lipſienſem editionem non vti longe felicioribus adiumentis illis, quae ſunt ex annaliſta Saxone repetenda. Ex hoc enim non ſolum menda varia, non ſolum ſtatim tollere, ſed etiam longe copioſiorem narrationem non raro deſumere licebat. e. c. cap. 52. narratur. „nonnullis Teutonicis, nec non comite Gerhardo de „Sala et Odalrico Pragenſi epiſco„po" etc. Sic in vtraque editione, quia compendium litterarum fefellerat; Hermannus Pragenſis Epus. (capite 50. in fine.) conſecratus commodum fuit, atque cap. 53. Hermanno Pragenſi Epo. commiſſum fuit caſtrum Wyſzegrad: ergo facile poterat ſciri, falſum eſſe iſtud de Odalrico Pragenſi epo. ex annaliſta Saxone p. 568. facile corrigitur: Odalrico Friſingenſi epo. Si quis inde ab annaliſtae p. 375. ſeq. et cap. chronici 26. conferat: facile perſpiciet, auctorem anonymum huius chronici Bohemici deſumſiſſe multa ex noſtris ſcriptoribus, e quibus ille annaliſta multa habet. Alibi addi poſſunt nomina propria, vt cap. 39. natam Caſimiri ducis Poloniae Suatauam; ſaepe et multo copioſius narrat annaliſta.

chronicon copioſius inde ab initio haec omnia exhibet, quae hic in epitome leguntur: de confuſione linguarum — ex Chrawatia veniſſe Czech — et Lech — etc. Ex hac chronica repetiit quaedam Neplacho, Abbas Oppapatouicenſis, in chronico Bohemiae tom. 2. Pezii, rerum Auſtriacarum p. 1020. ſeqq. licet omittere ſe alia dicat, de quibus ſit mentio in principio cronicae Bohemiae, et Chriſtoph. Hofmanni in eodem Corpore p. 1046. eſt germanica chronica Bohemiae; licet hic auctor ſcribat, (ſuo modo et ingenio obſecutus) aliter: „in terra Windi„ca Chrabath fuiſſe virum Lech, qui poſtea dictus fuit „Tſzech.“ Hic igitur e 2. hominibus et nominibus facit vnum; ſed ſuam opinionem ſecutus eſt, et vindicare honorem omnem ſolis Bohemis voluit.

Hic praeterea obſeruo, hunc anonymum igitur fateri, quod iſta antiquiſſima deſumſerit ex chronicis Bohemorum.95) Nempe vt antea, cum de Martini chronica ageremus, obſeruabamus: hic anonymus ſequitur inde a Piaſto Martinum Gallicum, ſed hic Martinus ipſe palam profitebatur, omiſiſſe ſe omnia illa, quae pertinent ad vetuſtiora tempora vtpote ipſius conſilio parum conuenientia. Quia igitur anonymus nihil hic reperiebat et Kadlubko (cuius miniſterio vtitur alicubi hic anonymus non obſcure95)) de Lecho et Czecho nihil narrauerat, quia de Lechitis, non vero de Czechitis ſcribere inſtituerat: deſumſit illa ex chronico Bohemiae; vſus etiam aliis quibuſdam chronicis exterorum, vnde varia adiecit, quae nec in Martino, nec in Kadlubkone leguntur. Ex talibus libris adiecit alicubi etiam annorum numerum. Caeterum praeter tot menda, quae iam correximus, multa alia ſuperſunt, quibus corrigendis iam dare operam non licet.

Pag.

95) De Olofago; Alexandro magno; Wanda etc.

Pag. 23. (de Boleslao 2.) ſcribitur: „Boleslaus in tantam „ſuperbiam eſt euectus, quod nollet imperio, (ſcil. Ger- „maniae) ſubiacere.“ Haec phraſis, opinor, eſt ex ore Germanico, polonicum certe ſtilum non redolet.

§. XII.

Tranſeo ad Boguſalum tom. 2. Sommersbergii p. 18. ſeqq. Hic p. 19. legitur: „Sorabae — Gallici appel- „lant iſtam regionem Seruiam valente diem; quod vincti „per Nimroth veluti ſerui eius ibidem fuiſſent locati“ etc. Facile perſpicimus Seruiam, Serbiam idem eſſe nomen ac Syrbiam, quod paulo ante ex chronico Bohemiae illu- ſtrabamus. Atque hinc illuſtrare licet Anonymi ſecundi illud p. 13. „nullis contenti terminis citra Seruanciam „vltramarinas quoque nationes et inſulas ſuae ſubiecerunt „ſeruituti“ etc. Haud dubie enim ad Boguſalum reſpexit anonymus, eiuſque Seruancia eſt Syrbia, Sorbenia. Quid vero monſtri eſt illud Boguſali: *valente diem!* O Boguſale! beneficium tibi Gallicus i. e. Germanus Saxo tandem praeſtat hoc, vt nunc ſcribatur et excudatur: valente dienen; hoc verbum Germanicum explicat ſeruire, vnde ille volebat nomen Seruiae venire; nempe et Slauiae putabat nomen eſſe quaſi Sclauiae a Sclauen Serui? Sed huius generis menda ſunt tam multa in excuſo Boguſalo, vt fere pigeat legere illud corpuſculum. Honori ſcriptoris Poloni, non inepti, id dandum erat, vt paulo plus diligentiae in eius editionem impenderetur. Eſt vero illud fatum fere omnium illorum corporum, quae rerum germanicarum ſcriptores continent. Eccardi corpus quanta foeditate horret! Ditmari chronicon, Lindenbrogii, Freheri, Schardii corpora. O! ſi plures ſint IABLONOVII, qui ad hiſtoriam tandem ornandam, quae

eft et tutrix iurium fummorum, et adiutrix aeternitatis, quae bene meritis Principibus debetur, aliquid e fuis thefauris impendant! Quantum effecit iam vnius IABLONOVII munificentia!

Bogufal hic non tantum Kadlubkonem ad manus habuit, fed et alia adiumenta hiftorica; p. 27. ipfe prouocat ad quafdam fcripturas, quibus ftandum eft verius; itaque alicubi plura et copiofius fcripfit, quam Kadlubko; faepiffime vero corrigi alter ex altero fcriptor poteft et debet. Obiter quaedam huius generis adiicio. Pag. 47. „fateor me fratris mei et auris meae in mortalibus ac a „mente non receffimus — beneficiis obnoxium effe." Corrigendum: „et nurus meae immortalibus — re„ceffuris" — fub finem marginis: „Sinfeboldus [96] dux Bofiae — in Kadlubkone Belzye [97] — Pag. 48. „nam „quod feueritate Nicolaus ille — facri principis palatii „filium regis Hungariae; qui cunctis orientalium regio„num Poloniae videbatur — vnde mortalium regna tan„tus terror concuffit, vt omnes ad Cafimiri nuntium plus „quam tremulae folium tremifcerent." Quae monftra hic lector horret! Legendum erat: „nam ab eius ferenitate — „quod — regionum impoffibile videbatur — vnde „orientalium — tremulum." Multa tranfeo. Pag. 65. „caftrum — tam acribus viris cuftoditur;" legendum, *tantum a tribus viris.* Specimis loco ifta fufficiant. Facile enim iam alii rem porro iuuabunt.

§. XIII.

Sequitur p. 79. Anonymi Archidiaconi Gnefnenfis breuior chronica Cracoviae.

Hic

96) Lege *Seuoldus.* 97) Legendum *Belfae.*

Hic primum mirari licet, ſic inſcriptam editamque fuiſſe hanc compilationem, quaſi ſit vnius auctoris; cum quinque aut ſex diuerſae compilationes facillime poſſint diſtingui, per numeros annorum ſaepe redeuntes a minoribus ad maiores. Diſtinguam varias compilationes.

Prima pergit vſque ad pag. 81. poſt paginae initium; „ſub anno MIII." addendus eſt numerus (V. alii VI.) „Eremitae in Polonia martyriſati ſunt:"

Altera incipit A. D. 955. „Dambrowka de Bohemia „nupſit" etc. Operae vix pretium fecit compilator, quia pauciſſima annotauit.

Tertia compilatio p. 82. finitur iam p. 83. anno iſto 1282. „Dux Leſtko congrediens cum Lithwanis" etc. eſt ſimiliter parui pretii. *Quarta* redit ad a. 994. „Polonia fidem recepit;" niſi haec particula de ordinibus ex margine collecta fuit. Iam enim ſtatim ſequitur anno 1072. „S. Stanislaus in epiſcopum Cracouienſem ordina-„tus eſt." Poſt pauca illa, quae vix ab eodem ſcriptore ſunt, illa quae ab anno 1249. deſignantur, ſatis clare ex Boguſalo ſumta ſunt. p. 63. de aedificato caſtro Poznam; de Lubuſz, Ruda, de Boguſali viſione: etiam in noſtro compilatore pag. 84. de caſtro Bythom (Boguſal p. 64.) porro anno 1251. deſumſit a Boguſalo, ſic tamen vt quaedam de ſuo adiiceret. Similiter de morte Boguſali p. 85. et de Caſtellanea Gedcz [98] de caſtro Nakel p. 86. ſunt ex Boguſalo cuius textus iam corrigi poteſt, pag. 68. „ſic porro res habet;" hic ibi tamen in noſtro anonymi chronico plura leguntur; curaque Boguſali appendix pergat ad annum 1271. p. 78. illud chronicon multo copioſius et diligentius pergit et confirmatur ad annum 1309.

98) Legendum *Gneznen.*

Quinta compilatio hic p. 91. incipit ab anno 1092; ſequitur et hic compilator Boguſalum, a pag. 60. de Magdeburgenſi aepo. Iohanne Scholaſtico, de concilio Romano; de Tartaris; quorum rex hic Tharſis p. 92. ſed Bathi dicitur p. 60.

Sexta compilatio incipit p. 94. mediocria ſunt, quae ex antiquiori tempore attinguntur, ſed ea, quae a ſeculo 14. pergunt, eximiae fidei ſunt atque vtilitatis. De praeliis cum cruciferis a. 1331. p. 96. (in quo vix 12. milites Poloni, de cruciferis vero plus quam 40000. occiſi dicuntur) haec eadem narrantur ab anonymo, qui adhaeret Kadlubkoni Gedanenſi, pag. 104. „de nobilibus „Polonis XII. de ſimplicibus prope XXX. viri ceciderunt.“ Cetera vero non conueniunt iſti ſcriptores. Pag. 99. auctor de ſe aliquid prodit, vnde patet eum fuiſſe inter aulicos Caſimiri tertii verſatum; ſic enim ſcribit — „votum vouit, poſt quod votum prout me accer„ſito, mihi et aliis audientibus (dixit) ſtatim ſe ſenſit ali„qualiter a febre releuatum, mandans mihi, vt ad Plo„cenſem ciuitatem mitterem, vt ruinae eccleſiae conſpi„cerentur, et Vicariorum numerus ſibi diceretur. quod „mox, vt imperatum fuit, impleui, virum nobilem Ioh. „de Skerzyn (Skarzyn) capellanum curiae Regalis celeri„ter deſtinando“ etc. Vnde fere patet, ſcriptorem fuiſſe et ipſum e clericis maioribus. ſimilia colligi poſſunt ex pag. 105. vbi deſcribuntur oblationes in exſequiis, p. 107. luſit cum Aepo. Gneſnenſi, et aliis dominis Scaccos, et cum eo coenauit; hic tandem aepus eum vocat: „Archi„diacone eccleſiae nihil video“ etc. Hinc praefatio p. 8. deſumſit titulum: Numero III. „breuius chronicon Cracouiae — — Archidiaconi Gneſnenſis. „Sed mi-

nime

nime vnius ſcriptoris eſt opuſculum, nec eſt vnum chronicon vt monſtrauimus.

§. XIV.

Iam facilius licet de auctoritate iſtorum ſcriptorum ſententiam ferre aequam et iuſtam. Narratio de Zecho, (Czecho omnibus Slauis) et Lecho, ex traditione quadam domeſtica et ſatis conſtante, inter Slauicas has gentes ortum habuit; de quo vix licet dubitare. Rem hanc ipſam per nomen Lechitas confirmari poſſe non dubitabitur: huius enim nominis originem etiam homines recoluiſſe et diligenter memoriae tradidiſſe ſatis eſt veroſimile. Audeo tamen illud affirmare, Kadlubkonem inter Polonos primum praeiuiſſe id nomen Lechitas, qui et Wandalitas, p. 3. Alexandritas p. 6. Pragitas. p. 22. Iazuizitas p. 32. Cracouitas p. 35. dixit: quae ſedulitas videtur id prodere, Kadlubkoni praecipue placuiſſe hoc nominis genus; nunquam tamen Czechitas ille dixit pro Bohemis. Lechum igitur gentis auctorem iam antiquitus ferri non ignorauit. Sed iuuat redire in tempora antiquiora, vt iſtius nominis hiſtoriam illuſtremus. Exſtat igitur e ſeculo XII. medio illud teſtimonium, Iohannis Cinnami ſatis luculentum 99) libro 2. „vt venerant Alemanni Nicaeam, Germanicis ibi iter facientibus ſe adiunxerunt Regibuſque aliis iſtis, qui et ipſi magnos exercitus adducebant. Ex his vnus praeerat genti Czechorum Τȣ τζεχων κατηρχε εθνȣς, a Conrado Regio nomine auctus; alter vero Lechis praeerat; (Scythica eſt natio) qui finibus attingunt Hungaros occidentales, ετερος δε τȣ

„των

99) Pag. 47. editionis Pariſinae p. 37. editionis Venetae nouae deſcribunt illud Conradi ſacrum iter, plures e noſtris ſcriptoribus Rerum Germanicarum.

„των λεχων, οι σκυθικον μεν εϛι γενος;“ Item Cinnamus „poſtea libr. 5. Lechos deſcribit aliter p. 126. Pariſ. p. 99. Venet. „Imperator, auxiliares copias et Aleman- „nis και προς τω Ταυρῳ ιδρυμενων σκυθων, atque e Scythis, „qui Taurum accolunt, porro et ex Tzechis, adſciuit“ etc. Hic clarum eſt iſto tempore diuiſos fuiſſe Bohemos nomine Tzechorum ab aliis, qui dicuntur Lechi; hi ſunt Poloni. Scimus enim e noſtris ſcriptoribus interfuiſſe cum Conrado, ſacro huic itineri Bohemos (cum Rege Vladislao) atque Polonos, et Conradum iter feciſſe per Poloniam Ruſſiam [100]) et Wallachiam. Ipſum vero Boleslaum Polonum crucem ſuſcepiſſe atque interfuiſſe huic expeditioni, ſcriptores Poloni ignorant, licet narrent Barones et milites multos ſuſcepta cruce iuiſſe cum Conrado. Fuit igitur illud vtrumque nomen Tzechi et Lechi, quaſi vtrique genti proprium, ſatis notum atque vſitatum, Graecoſque paret iam non demum didiciſſe nomina gentium peregrinarum ab iſtis cruciferis, ſed ex domeſticis antiquioribus ſcriptoribus id hauſiſſe: tam hoc, quod diuiſas prouincias et gentes diuiſa nomina diſtinguant, quam illud, quod nomen Tzechi genti iſti conueniat, quae habitat vltra Lechos dictos. Videtur porro *Cinnamus* dicere, Scythas eſſe nomen generalius, ſub quo gens vtraque comprehendi poſſit; olim ſcilicet, antequam familiae locum et patriam ante communem mutarent. Iam igitur adiecit deſcriptionem: tales Scythae qui Taurum accolunt. Patuit autem nomen Scythiae latiſſime, vt ſatis notum eſt; igitur Cinnamus non obſcure illos dicit, ex iſtis partibus, quae ad orientem vergunt ſolem, profectos fuiſſe olim populos in regiones, quae erant oppoſitae. Occupare autem praecipue ſolebant latera

100) Polonicam Geographis dictam rubram.

latera fluminum itaque Danaſtrum, Wislam, Oderam Albim ſecutos fuiſſe ſatis eſt probabile. Redeamus paululum in iſta tempora, cum Slauici populi, continuis fere itineribus profecti ſunt, aut attigerunt prouincias, quae Romano imperio ſuberant, ſi perſpiciebant eas parum defendi, aut eas regiones peragrarunt, quae non ſuberant Romanis, ſiue nemoribus atque ſiluis adhuc horrebant, ſiue veſtigia incolarum non deeſſent. Vtrumque conſilium ducum, ductorumque qui multitudinem ingentem regerent, auctoritatem poſcebat. non caruerunt ergo ducibus. [101]) Si iſta multitudo tandem, quia nimis creuerat, longioribus prouinciis ſeiungebatur a parte altera: facile intelligimus, propriam aliquam quaſi hiſtoriam diuiſae reipublicae locum habuiſſe: non raro vero et vtraque res publica rurſus vni domino paruit. Videtur igitur vix dubitari amplius poſſe, vtrum Tzechus et Lechus ductorum nomina fuerint, licet ceteram narrationem, quae hauſta fuit partim ex ſacris libris, partim ex Iuſtino etc. nemo hodie hiſtoriae Polonicae auctoritate et iure augere poſſit. Iornandes homo ſatis diligens [102]) hanc cauſam commode illuſtrat, cum Scythiam deſcribit, nec putem, dubitari poſſe, longe meliori iure ex talibus vetuſtis narrationibus argumentum hiſtoriae Polonicae antiquioris colligi poſſe, quam ex Iuſtino illo, quem ſolum Kadlubko videtur ad manum habuiſſe. Sic autem ſcribit

101) Illuſtrabimus ex illa narratione Conſtantini Porphyr. de adminiſt. imperio cap. 36. de migratione ſimili Chrobatarum: „fra„tres quinque et ſorores duae Tu„ga et Buga venerunt cum populo „ſuo in Dalmatiam.“ Veroſimillimum hinc, vt iſta duo nomina ſororum ſunt ſimillima, ſic et Czech et Lech, nomina fratrum eſſe. Ex iſto Conſtantini opuſculo haud dubie quaedam repetenda ſunt, ad hiſtoriam vetuſtam Poloniae.

102) De rebus Geticis cap. 5.

ſcribit de Vinidis: „Vinidarum natio [103] iuxta ſiniſtrum „latus Alpium [104] quibus Dacia emunita eſt, conſedit, „quorum nomina licet nunc per varias familias et loca „mutentur: principaliter tamen Slauini et Antes nomi-„nantur“ etc. Nempe Slauia comprehendebat, longas lataſque illas prouincias, quae poſtea noſtrorum ſcriptorum vſu, Bohemia, Polonia etc. dicebantur. Nec de ſuo repererant illi Francici ſcriptores, id nomen Slaus, Slauus: ſed ſaepiſſime audiendo tam multa nomina terminari ſyllaba las, laus, (ϑλαβὸς graece) prouinciis iſtis inde nomen repertum atque tam graecis quam latinis ſcriptoribus uſitatum fuit. Sed vicit omnium, qui de his populis egerunt, diligentiam Ioſephus Simonius Aſſemanni [105] cuius corpus iam excitauimus, vt non opus ſit, nos actum agere: pauca tantum repetemus.

Laonicus Chalcondylas, ſuo iam tempore fatetur, ſe nec veterum ſcriptorum quemquam meminiſſe qui explicauerit, nec ipſum poſſe confirmare, vtrum Illyrii illi, qui ſunt accolae Ionii vſque ad Venetos relictis ſedibus priſtinis Poloniam (hoc nomine hic vtitur) et Sarmatiam occupauerint; an vero Sarmati egreſſi [106] ex his finibus inuaſerint Myſiam Triballorum et Illyriorum regionem. Vtitur autem hoc argumento, quod ſit vtriſque lingua ſimillima. Nobis, qui breuitati ſtudemus, ſufficit in memoriam

103) Supereſt de fluuio Wandalas, de femina Wanda aliquod veſtigium Vinidorum in Polonia.

104) Alpes dicuntur a iunioribus ſcriptoribus omnia montium iuga maiora: hic deſcribuntur Carpathii montes.

105) Kalendaria eccleſiae vniverſae tom. 1. pag. 192. tom. 2. pag. 68. ſeqq.

106) Sic Blondus Cranzius et quidam alii ſtatuebant: prima pars problematis parum abeſt ab illa deſcriptione Kadlubkonis, qui ad Graecos perueniſſe nouos incolas dicebat.

moriam reuocare noſtrorum graecorumque ſcriptorum narrationes, e quibus conſtat, plura per interualla temporis a ſeculo 4. 5. 6. Vandalos Alanos aliosque populos, continuis fere migrationibus, tandem et Romani orbis prouincias hic ibi attigiſſe. Vel Conſtantini ille commentarius de adminiſtrando imperio ſaepe narrat de nouis populorum Slauicorum ſedibus.

§. XV.

Vir eruditus Carolus du Freſne in notis ad Ioh. Cinnami hiſtoriam p. 145. editionis Venetae ab his Czechis et Lechis diſtinguendos alios Czechos ſeu Tzechos recte admonuit, quorum ſit apud plures byzantinos ſcriptores mentio, (apud Procopium certe aliquoties) nempe quia illi Tzechi ad Pontum Euxinum habitarent ſatis remoti a Polonis et Bohemis. atque vix licet ſuſpicari, eſſe eiuſdem olim gentis familias poſtea diuiſas. Fatemur ſane Oſtgothos et Weſtgothos non poſſe non omnes miſceri et confundi, poſtquam tanto locorum interuallo ſeiuncti fuerant. Sed nec dubitamus, fuiſſe gentem vnam populum vnum. Sic res habet ſimiliter, ſi Vandalos, Francos, Saxones diſtinguimus, quia in diuiſis et ſeiunctis prouinciis habitant, Vandali in Hiſpania et Africa, Franci, illi, qui per occidentem ſolem et orientem diſtinguuntur, Saxones item varii. Solent autem conuenire nouorum oppidorum nomina, quae quaſi priſtinarum ſedium memoriam conſeruant: eius autem generis nihil obſeruare licet: conuenire nomine iſtos Graecorum Tzechos, aut, ſimilia nomina nouarum ſedium, nec addidit hiſtoria eos in alias tam diſſitas migraſſe terras.

Sed et illa Conſtantini narratio cap. 32. ſeq. ab hoc loco non eſt aliena. Narrat de Seruiis, quos dicit ortos eſſe ab eis, qui iſto tempore adhuc carebant baptismo; eos dicit habitare ſupra Turkiam (Pannoniae partem nempe tunc Turki incolebant) „Εις τον παρ᾽ αυτοις „Βοϊκι τοπον, επονομαζομενον εν οις πλησιαζει και η Φραγγια," i. e. „habitabant Seruii vſque ad eum locum, qui apud „ipſos dicitur Boiti, ibi vero et Francia (germanicum im„perium) finitima eſt." Ego non dubito, Boicos Bohemos, vt Latini nominant, deſcribi; igitur antiquitus Servios habitaſſe ibi. Sed poſtea, cum fratres duo [107] poſt patrem diuiſo regno praeeſſent, alter eorum confugit ad imperatorem Heraclium: [108] is dedit habitationem in themate Teſſalonicae. Aliquando poſt, viſum eſt eis redire in terram ſuam; cumque traieciſſent Danubium, rurſus poenituit conſilii, aliamque terram a praefecto Belegradi expetierunt. Itaque cum Seruia, quae nunc dicitur Pagania, Zachlumorum regio, et Terbunitarum Canalitarum Romanis ſubeſſent, ſed per Abaros illi incolae eiecti eſſent, qui iam Dalmatiam et Dyrrhachium incolunt, eas terras imperator his petentibus dedit. Haec hic Conſtantinus. Conueniunt autem nomina Slauica virorum Boeſeſtlab (legendum Boleslav) Rodoſthlab (Rodoslaw) Tzeeſthlab, (Czislav,) Pribeſthlab, (Prybislau,) vrbium vero Deſtinic, (Deſznia) Tzernabuſec, (Czernoboſec) Dreſnic, (Drizniece) Reſznic, (Reſnice) Deſnic, (Deſnzice). Cap. 38. deſcribit dignitatem Boebodi, (Woie-

107) Non inepte huc referre liceat traditionem ſimilem de Lecho et Zecho: cum clarum ſit, Bohemorum prouincias hic deſignatas iam fuiſſe: traditionis aliquid ſupereſt: ſed ab hiſtoriae luce differt, vt vmbra a luce.

108) Ergo initio ſeculi ſeptimi,

(Woiewodae, Woiewodz quod eft belli dux, feu dux exercituum) inter Turcas, nempe et Turcarum nomen, vt alia gentium faepe latius fignificant, vt vix confirmari poffit, Vngaros tantum, nullos Polonos defignari. hi Turci, de quibus hic agitur, habitarunt per aliquod tempus in Vngaris, expulfi poftea in magnam Morauiam. cap. 40. antiqua monumenta (in Panoniis) fuperfunt, pons Traiani, Belgrad; Turci habitantes hic per flumina defcribuntur, Temezes-Crifus, Tiza (Theiff.) c. 42. inter Danubiano et (Saba) Sauum.

Iam praecipue ad eam rem pertineret, fi quis vetuftam hiftoriam earum gentium repetere vellet, quae ingentes illas prouincias incoluerunt, quorum parua hodie pars nomine Poloniae etc. infignitur. Sed ifta hiftoriae prifcae adiumenta defuerunt bonis illis fcriptoribus, Kadlubkoni, aliifque poft eum; itaque maluit Martinus Gallus, qui eft aliis antiquior, filentio tranfire priora fecula. Sed ex his partibus et fragmentis quafi componenda eft hiftoria antiquior: nec dubito, fi diligentia non defit, non parum lucis tandem collectum iri. Demus autem non omnino certa omnia poffe effici: vix tamen dubitari poteft, iftos prouinciarum illarum incolas, qui a noftris fcriptoribus, poft chriftianifmum fufceptum, folent iam diligentius diftingui, multo magis debere pro fortiffimorum populorum pofteris haberi, qui olim *Scytharum Slauorum*que nomine defcribuntur, quam vllam gentem aliam. Nec hic, cum quafi vniuerfum de ea caufa agitur, abeft hiftoriae ius et omen; quae tam multis et tam dignis fcriptoribus graecis latinifque nititur; atque hic longe rectius fuppletur illa vetuftior hifto-

 ria,

ria gentilis, quae ſeculum noſtrum octauum antecedit, quam ſi quis iſtas naenias et fabulas colligat et defenſum eat, quae narrantur per aliquos ſcriptores, qui inde a ſeculo 12. demum ad hiſtoriam patriam antiquam condendam acceſſerunt; quos ſcimus et videmus, nihil quidquam monumentorum habuiſſe in manibus, quae ſola temporum locorumque lucem hiſtoriaeque vitam et animam ſecum ferunt. Hic putem operae eſſe pretium, cum vti nobis liceat tot bonis ſcriptoribus, quibus Dubrauius, Kranzius, Cromerus etc. vſi non fuerunt: ſi viri eruditi ſuam diligentiam in id conferant, vt iſtam quaſi familiam et cognationem priſtinam, quae diuiſas poſtea gentes olim quaſi propius coniunxerat, ſtudioſius illuſtrent.

APO-

APOCRISIS
AD
QVAESTIONES PROPOSITAS
DE
LECHO

RVERET DERISA VETVSTAS.

Per Reuerendum Patrem Venceslaum Duchowski, A. A. LL. Magistr. S. S. Theologiae Baccalaureum, Notar. Apostolic.

APOCRISIS
SVPER
QVAESTIONE DE TRIVMVIRATV SLAVICO
DE
LECHO CZECHO ET RVSSO

Actum de Trabeis esset, si patribus una
Mens foret Hesperiis, rueret derisa vetustas.

CLAVD. IN EVTROP. L. 2. V. 122.

Maiorum auctoritatem eo cultu semper fui prosecutus, ut aeque loquentibus atque scribentibus parem fidem habendam censerem, non quod de gestis veterum doctius, concinniusue, sed quod verius silentibus ipsis, hodie scribi non posse putarem. Quae enim causa fuerit, quamobrem ipsorum scripta, ceu fabularum centones omni fide spolianda censeamus, quorum sermones, si ordine temporis simul vixissemus, velut a Ioue prolatos, reuerenter habueramus.

Immortalem confiteor nostri seculi esse gloriam, quod non modica maioribus illis nostris, cum ignorata, tum, quae illius temporis incuria erat, vitiata, aut inueniendo, aut castigando meliora reddidit: at nondum eo processum esse palam est, quo de vero ac vetere quopiam facto, vetustate, qua late patet, tacente, in historiam hodie inducto gloriari licuerit; quicquid vani sui ipsorum

admiratores hanc gloriam ſibi deberi toties iactitent, quoties nouam quandam luteo inaedificatam tibicini, ſine antiquitatis teſtimonio, confinxerunt hypotheſin.

Ac iſti hiſtoriam inter ac artes ſcientiamque minime diſcernere videntur. Non enim perinde vetus illa hiſtoria, ac ſcientiae arteſque reliquae, in quibus commodius, vtilius, certiuſque augendis per omnes fere dies perficimus, vna et ſola ingenii induſtria, ſeu verior, ſeu certior reddi poteſt; quippe quae temporis ſui cum ipſa ſit et vnica teſtis locuples, nec lux nec veritas fuerit, niſi priſcorum virorum tam loquentium quam ſcribentium teſtimonio ad exactius aequiuſque examen vocato illuſtrata fulciatur.

Eruditi ſane homines, ſi quando latum hiſtoriae campum colendum ornandumque ſibi ſumerent, eo potiſſimum aduerterunt animum, vt a nouis ſola ingenii diligentia inuentis in veterem hiſtoriam, obmuteſcente antiquitate, importandis ſyſtematibus, prudentes calamum continerent: bene vero in ſeligendis, atque diligentius excutiendis priſcae aetatis monimentis, qua liceret maxime, ſeſe induſtrios praeſtarent; probe gnari, nouas quaſcunque hypotheſes ac ſyſtemata comta quidem et ſimilia vero, non tamen, neglecto vetuſtatis ſuffragio, vera certaque reddi poſſe.

Sunt nihilominus nonnulli homines, de quarto doctorum praeſertim genere, quibus vetera omnia prae recentibus, domeſtica ac noſtra prae ſuis atque peregrinis, ſordent; neque putant foedum viro hiſtoriam colenti, non dicam errare (id enim eſt humanum) ſed quem eſſe errorem ſenſerint, vltro amplecti, et quod ferendum eſt minus, in aliorum animis ac mentibus inſinuare, quoue

tena-

tenacius haereat, *multis ac prope inuictis* (vti iactant) [1] *argumentis* in publicum comendare non verentur; quos multo prudentius facturos fuisse autumo, si ea in quibus neque loquenti, neque scribenti antiquitati fidem habebant, eo vsque in sinu continuissent suo, quousque apertiora, certioraque ad coniecturas, quarum ius est liberum, confirmandas subsidia collegissent. Quod vero illa sua, nulli satis firmae atque explicatae rationi nixa, nullique veteri documento, sed vni duntaxat, auribus non menti fallendae apto grammaticali sono, (qui inter Lazos, Lechos, et Polacos, Zichos atque Czechos exauditur) inaedificata systemata, impotentius iactant [2] tamque valido clamore, Triumuiratum Slauicum, Lechum, Czechum nimirum et Russum, vno quasi flatu disiecisse se putant, et procul hinc Petropolitanum historiae Professorem ad ista quasi hilaria exciuerint: [3] aegre haud tulerint, quod istorum armorum vim experiri audemus, atque magnifica ista oratione infracta, sedilia *Gelasino* [4] deo paratum imus; quod tamen sine vlla acerbitate facturi sumus; a qua longissime nostri mores absunt.

Quanquam Principes hos Slauos Viri complures docti tuendos aduersos fabulae sortem susceperunt, ac, quod cum honorifica tantae rei significatione dici oportet, incomparabili studio, et munificentia patriae historiae ornandae

1) Gelas. *Dobner.* Prodrom. Haiek. p. 55. ac passim.

2) Gelas. *Dobner.* primo quidem aperte; deinde Historiophili nomine a Zichis Czechos; R. P. Athanasius August. ab officio Palatino Pincernatus dici contendunt.

3) Fuit is Celeb. et Doct. Vir. Aug. Lud. Schloezer ab editis historici quoque argumenti opusculis, nulli, cui meliores literae sunt notae, non cognitus; at dein rem propius contemplatus, ad castra Slauorum Principum tuenda transiuit.

4) P. Marian. e piis scholis, in Lexico litt. R. Gelasinus, est Deus risus.

nandae aeque atque litteris augendis vnice intenti *Sereniſſimi*, *Eruditiſſimique Principis*, *e veterrimis Pruſſiis Vindiis a Wicholtz Ducibus*, *Palatini Nowogrodenſis*, *Ioſephi Alexandri Iablonouii*, excitata doctiſſima quadriga in ſolium principale reuexit: tamen ex aduerſae opinionis patronis, duo adhuc opponere non ceſſant; ac *primum* quidem aiunt, Zichos Lazosque, Lechorum, vti putant, Czechorumque maiores a Slauica origine nulla adhuc legitima auctoritate excluſos eſſe; *deinde* negare pergunt, Triumuiratum Slauorum Principum fide veterum, ſaeculo XIV. ſuperiorum, codicum euictum eſſe.

Quam prope longeue ab aequo abſit haec aduerſariorum ſiue expoſtulatio, ſiue iactantia, facile norunt, qui vni veritati litant, eruditi. Si namque aduerſariis damus, Lazos, Zichoſque Slauico potius, quam tatarico ortos fuiſſe ſanguine, nihil inde iuris ad opinionem adverſariorum accedit; neque quidquam nobis decedit.

Non diſceptamus, an Zichi, Laziue Slaui ſint; quod ipſum ſe probare non poſſe, vel inuiti fatentur aduerſarii; [5] ſed vnde Czechis Lechiſque nomen ſit repetendum iam requirimus; ſintne, Lazi Czechique Slauii; Polonorum Boemorumque ſintne maiores? ergo extra oleas vagantur aduerſarii, atque ne hilum quidem, quod ſit ad propoſitum, afferunt: quo igitur *argumentorum prope*, vt iactant, *inuictorum* neruus tendebatur? nonne aquam tutudit? cum ne verbulo quidem vno, vnde Zichis Laziſque ſuis nomen adhaeſerit, docuerint. Si Lazi ſunt Lechi, ſi Zichi ſunt Czechi, vel Tſchechi: monſtrandum

5) *Dobner*. hiſtorioph. 2. Exam. p. m. 30. non negamus quidem, deeſſe legitimum ex antiquitate tanta documentum, quo conuincamus, Zechos hos, gente et lingua, reipſa Slauos fuiſſe; at idem documentum deeſt aduerſariis, vt probent, iſthic Slauos olim non coluiſſe.

dum forſitan erat, Lazum non eſſe Lechum, Zichumque non eſſe Czechum; nec *poſtulantibus nobis falces, obtrudendi erant ligones.*

Sed nec vlla arte opus fuerit, vt quacunque demum metamorphoſi Lazi in Lechos ſeu Polonos [6]) et Zichi in Czechos, ſiue Boemos transformentur: apud Slavos enim, quorum cauſa hic agitur, Polonos Boemoſque, inter res quae fieri nullo modo poſſunt, cenſetur, literae Z in locum literae C. ſubſtitutio, quin aliud illico ſignificetur. Quemadmodum enim Slauicae pronuntiationis ſonus inter c. et z. nullam habet affinitatem; ita z aut c. Slauicae additum voci diuerſam efficit notionem; exemplo ſint, vel ipſi Lazi. Slauis Lazi vetus verbum idem notat, quod hodiernum *Plazi, repo. Laci* vero quartus caſus a nomine Lace vilitatem pretii notat, ita vt on ſe Płazi in tertia perſona primi modi idem ſit, quod *ille repit; ide vel gde Polaci* eiſdem perſona, et modo Latinis ſignificet *quaerit minus pretium.* Sic et alia ſunt *zely* olus, *Cely* totus, *zed* murus, *ced* cola. *Cil* meta, *zil* meſtuit. *Zelnik* olitor, *Celnik* telonarius, et ſexcenta ſimilia: quo modo itaque Lazi erunt Laci, ſeu Po-laci? aut Zichi, Zechiue, *Cechi?* Atque ſi maxime analogiam inter C. et Z. admitteremus, magnum tamen adhuc diſcrimen foret. Boemi enim nullo tempore Cechi; ſed ſemper dicti ſunt Czechi ſeu Tſchechi; nec tam leue diſcri-

6) Ita in vetuſtiſſimis MS. codicibus, ne vna quidem vice Poloni ſcripti leguntur. Nominis huius origo fruſtra in Colchide, a ciuitate Pola repetita fuit; eſt enim domi ac inter Slauos hoc nomen tum primum natum, cum agri diuiderentur. *Po* enim praepoſitionem ordinis, *Lan* certam dimenſionem terrae, aratro ſubigendae, notat; Polani igitur agrorum cultui addicti; vt *Po Ruſſi* ſimiliter ſeruant etymologiam; *pu* et *Ruſſ.* *Polak* in ſingulari et Polaci in plurali a verbo *Polakam*, quod allicere ſignificat; deinde quoque dicti.

difcrimen fignificationis, vt foni, auribus Slauicae linguae non adfuetis apparebit, fi pronunciatum, fcriptumue fuerit, Cz feu Tfche, pro folo C. aut C. pro Cz. feu Tfche: nobis certe aliud eft *Cap* aries ungaricus, aliud *Czap* ciconia, aliud *Cep* flagellum, aliud *Czep* epiftomium. aliud *Cyly* collimat, *Czyly* explorarunt. *Cely* totus, *Czely* confrontat, *Cara* hinc illinc vagatur, *Czara* magia, *Caka* madet, *Czaka* fpes proxima, ac vt finem infinitis faciam, aliud demum *Cech tribus* 7) et aliud *Czech*, explorauit.

Nihil autem dicunt, cum clamant aduerfarii maiores noftros Slauos non habuiffe literas liquidas neque eos adhibuiffe elementum C. punctuatum, ideoque non Czechos, fed fefe nominaffe Cechos. Fieri non poffe elementi Z in C mutationem fine confufione rerum commodum admonuimus. Quis vero eius argumenti iuftum et liberalem modum effe confentiat. Veteres Slaui caruerunt literis liquidis, ergo non Zechi fed Cechi dicti funt? Si aduerfarii caufae fifi effent fuae, iam mediocria adiumenta contempfiffe decebat; cui enim rei feruiunt? maiores noftros liquidis duntaxat literis fuiffe deftitutos, quos aduerfarii vfque ad faeculum IX. decurrens affeuerant habuiffe nullas, fuiffeque analphabetos? Linguae fuae domeftico vfu profecto non caruerunt, quem aliae gentes imitari folebant vt poterant. quis etiam credat zichos, a gentibus vfum liquidarum habentibus, feu olim feu hodie, nominatos difficiliori fono fuiffe Czechos, feu Tfchechos?

7) Arabes vnumquodque *Iag* in octo partes diuidunt et quamlibet Cech vocant. — — ita, vt media nocte, quo tempore ipfis dies ciuilis inchoatur, elapfum fit dimidium *Iag*, Zeh, et Cefeu atque dimidium remaneat. Vlug Beig. eruditiff. Princeps, Epochar. Cel. ex editione et comment. Io. *Grauii.* Lond. typis Flefcher. 1650. c. 2.

chos? Leuius forte etiam erraſſent, ſi dixiſſent veteres Slauos accentuatis deſtitutos literis non Zichos, ſed Zzichos ſeſe ſcripſiſſe; an etiam duplex z ad modum puncto deſtituti z pronunciauerint, dicere non auſim;[8] nec enim, aliquem, vtroque parente Slauico natum, ignorare decet, quantam vim facultatemque hic quoque habeat vna pronunciatio: *Žadny* enim nullus, *zadny* poſtremus, žaby ranae, zaby trucida, *žada ny* deſideratus, žadany deditus, žiti metere, ziti vehementer ardere, žely luget, zely olus, zwany inuitatio, žwany vaniloquentia, et ſimilia innumera, quae niſi pronunciando diſcernantur, eadem mamma vſi ſe ne intelligent quidem. Apud Slauos, itemque caeteras nationes accentuum liquidarumque litterarum, atque integrae grammaticae vſus poſterior pronunciatione eſt, et ignari quid accentus, quidue liquida, aut quaelibet alia littera ſit, inter ž et z. c. inter et č recte pronunciando imperitiſſimi tamen et viliſſimi quique diſcrimen faciunt. Grammatici autem cuiusuis nationis pronunciationem, ceu Lesbiam regulam ſecuti, ſic literas literis adaptarunt, vt vocabulum, ex iis iam compoſitum, proximum eſſet naturali elocutioni. Nam Boemicum Polonicumque Cz ſeu Tſche, alii Slaui per Tſ alii per Cſ, alii vt Samioli zh, Charuatae etiam per *ch*, alii aliter hodie

8) Maiores noſtros ante geminaſſe, quam punctuaſſe literas, plena exemplorum in MMSS. codicibus relicta nobis eſt meſſis. Atteſtatur anonymus Cantici S. *Adalberti* commentator, ſciendum, inquit, eſt, quod hoc nomen zzizzy (hodie žižy) apud veteres Boemos, et tempore S. Adalberti erat in communi vſu, quod nobis modernis (ſcripſit a. 1397.) modo non ita notum eſt, et ſignificat ſaturitatem terrae. Similiter dicebant zziezim per groſſius zz, id eſt bibere cupio, latine, ſitio.

hodie quoque imitari conantur. Neque alia caufa reddi videtur, cur Graeci fcriptores, qui a Procopii aetate Zichos aequalibus elementis vfque modo defcripferunt in Czechis fcribendis magnopere a fe inuicem difcefferint: quos enim Ioh. Cinnamus[9] Tzechos, Τζεχȣς Laonicus Chalcocondylas[10] κεχιȣς, Angelus[11] aeque Σχαχιαδωντε λεως prout Lechos Ηγενε λεχικη. vix inquam alia caufa diuerfitatis affignari poterit, quam quod diuerfam Czechos fcribendi Slauorum methodum imitati, vtut non plane feliciter affecuti fuerint; cumque viderent aliter a diuerfis nomen eorum defcribi, variam quoque fcribendi rationem fecuti funt. Czechos tamen ecclefia graeca in Epiftola[12] anno 1451. die 18. Ianuarii ad eos fcripta appellat Boemos ποεμιων. Si igitur Zechi iidem funt, qui Cinnami Tzechi, et Chalcocondylae Kechy, fi Kechy iidem, qui Boemi: egregie imperitos CPolitana Ecclefia viros iftos fuiffe oportet, qui ignorauerint, Imperatoris fui Programma feu titulum defcribere! quis enim nefcit Manuelem Imperatorem, cuius Grammaticus Cinnamus fuit, a Zichia deuicta, titulum auxiffe nomine Zechici;[13] at imperitia haec graecis fcriptoribus totique orientali ecclefiae, quibus Zichia fedi CPolitanae in facris, diu ante, fubie-

9) Lib. 5. hiftor. inter Byzantinor. p. 127. et 129. Parifina.

10) Lib. 2. p. 37. Parifin. p. 30. Veneta. Vngaria verfus feptentrionem excurrit ad Βοεμȣς τȣς Κεχιȣς καλȣμενȣς.

11) ΠΟΙΗΜΑ ΔΠΙ et ΔΔΠΠ.

12) Prolata eft haec epiftola in lucem Pragae primum ex Bibl. Colleg. Caroli IV. ftudio Cafp. a Nyelburg V. Cl. regis Maximiliani Confiliarii. dein excufa Viteb. in offic. Laur. Schwenck a. 1564.

13) Titulum hunc ex Camerarii chronologia Nicephoriana totum refert; Henr. Meibomius T. I. rer. Germ. in Bulla Andronici Imp. p. 473. hic partem damus: Μανουηλ εν χριςω πιςος Βασιλευς . . . Ζηχικος χαζαρικος. . nec id ignorauit Dobner. T. 2. in Praeloq. ad Lect. n. 2.

ſubiecta erat [14] magis nota fuit, quam cuique domus ſua, impingi nequit. Prudenter proinde nomina gentium iſtarum ſcribendo diſtinguere debebant, ne populum ex populo confunderent: cauerentque ne ipſis, *ut iis, qui in vmbra dimicant, inania ſimulacra illuderent.* [15] Siue autem veteres Slaui maiores Boemorum atque Polonorum literarum liquidarum vſum habuerint, ſiue deſtituti iis fuerint, Lazis, Zichiſque in Lechos, atque Czechos transfigurandis nihil prodeſt. Omnes enim liquidae apud nos literae arcana quadam arte ac ſono non niſi viua voce condiſcendo admodum mollis *g* ſeu *j* cum pronuncientur: nullum litteris *C* aut Z inter liquidas locum relinquunt [16] ſed aeque inter leniter č et ž, inter denſiores a probae monetae grammaticis reponuntur.

Etſi

14) Michael *Le Quien* in Oriente Chriſt. Prouincia Zichiae ſiue Zechiae in Scythia. T. 3. Colum. 1103 et 1104. Carolus a S. Paulo Geographiae S. edit. Pariſ. anno 1641. ſcribit tres in Scythia ſedes Epiſcopales erui ex notitia graeca; ſcilicet Cherſonem, Boſporum, et Zichiam . . . . Zichia vt caput prouinciae eiuſdem nominis recenſetur in notitiis graeco-latinis ad calcem Codini de officiis p. 403. n. 93. Zichia ciuitas cum Archiepiſcopatus eſſet, ad Metropolitani honorem euecta eſt. CPolitano patriarchae in ſacris paruiſſe notum eſt, et Adriani Daude T. 2. p. 864. Marta exhibet.

15) Procop. Gott. L. 4. princ. ed. Grotii.

16) Grammat. anonymi Parte 4. C. 2. de Pronunc. vniuerſim omnes conſonantes punctuatae pronunciantur, ac ſi inter liquidam conſonantem, et vocalem immediate ſequentem proferres litteram (g) ſed quaſi mediocre et curto ſono, vt miel er hat gehabt quaſi mgel Roſa p. 413.

Laurent. Nudožierinus in Grammat. Boh. L. 1. p. 5. liquidae autem appellantur, non quod perpetuo liquidum ſonum habeant, ſed quod ſaepe molliuntur, et tanquam liqueſcunt . . . Decem autem ſunt conſonae, quae liqueſcunt; quinque manifeſtioris liquoris. r. l. n. t. d. quinque item obſcurioris m. w. ff. b. p.

Etſi Lazi, Zichique iſti tanti haud ſint, vt inueſtigandae eorum origini, non redituri temporis pretium perdatur, nulloque hiſtoriae noſtrae damno ignorari poſſint; tamen quia aduerſarii iactare non deſinunt, [17] nullum ſuppetere documentum, e quo cunas populorum iſtorum ediſcere liceat, indeque occaſione quaeſita, quia a veritate probae hiſtoriae nihil opis poſſunt arceſſere, figmentis ſuis atque inanibus argumentis locum dandum contendunt: audiendos teſtes qualibet exceptione maiores autumamus. Sunt illi ſcriptores graeci, quorum maxima ex parte officium cum eſſet, interiora imperii Byzantini arcana habere cognita, populi tum religione tum foedere, obſequioque et vicinitate imperio eidem coniuncti, genus omnino ignorare non potuerunt. Iſtorum facile Princeps, Ipſe Byzantinus imperator Aſiam magnam, in qua Zichi Lazis adſident, a tribus hominum generibus *Indis* videlicet, *Aethiopibus*, et *Aegyptiis* inhabitatam, aetate adhuc ſua fuiſſe aſſeuerat. [18] Ad Indos, aut Aethiopes atque Aegyptios, Lazorum, Zichorumue ſanguinem referre videtur imperator: id quod generatim prodidit *Conſtantinus* ille Porphyrogenitus, ſingulatim eius *Continuator* exponit; Zechoſque Aegyptiacae origini accenſet. [19] *Procopius* vero et *Agathias*, qui Porphyrogeni-

17) Dobner.ſeuHiſtorioph.Exam. I. p. 16. quae ſi eneruare animus fuit, oſtendendum tibi erat, Zechos hos alterius linguae fuiſſe a Slauis, aut a vetuſtis probatiſque authoribus, Hunnis, Gothis, Tartaris, Perſis, Graecis, aliique genti fuiſſe accenſos.

18) Conſt. Porphyrog. de thematibus libro I. themate I. p. 3. Pariſinae p. 2. Venetae editionis.

19) Contin. Porph. L. 2. c. 12. p. 25. Cum (Thomas) in regionem eorum (Agarenorum) irrupiſſet, et Saraceni reuerſi, illius impetum ſuſtinere non poſſent, habito cum eis colloquio pacem componit, ſibique belli ſocios adiungit - - cogitque ingentem exercitum, nec ex illis duntaxat Agarenis qui nobis (in Peloponneſo) vicini ſunt, et

genitum, eiuſque Continuatorem CCCC. annis antei-verant, populorumque et locorum, in quibus Lazi, Zichique ſederant, erant peritiſſimi, ea veritatis fiducia Lazos ad gentem referunt Aegyptiacam, vt ne fieri quidem poſſe putent, quin populus ad Phaſim accolat, qui mammas Aegyptiacas non ſuxerit: *vt Lazi* (inquit Procopius [20]) *alii ſint quam Colchi, fieri nequit, quando Phaſim amnem accolunt, ita vt, quod multis populis accidit, nomen tantum nomini ſucceſſerit.* Conſentanea his refert Agathias. [21] *Lazi* (ait) *olim Colchi dicebantur; et hoc illos eſſe conſtat, neque de hoc quiſpiam dubitauerit, qui Phaſidem et Caucaſum, et diuturnam eorum circa haec loca habitationem conſiderant.* [22] *Dicuntur vero Colchi Aegyptiorum eſſe colonia. Hi itaque ſiue Lazi ſiue Colchi, ſiue Aegyptii ſedibus ſuis migrantes, variis noſtra aetate bellis fuerunt laceſſiti.* Teſtimonia allata tam valida tamque ſunt perſpicua, vt de veritate eorum

et finitimi, verum etiam ex iis, qui remotiora ac interiora colunt: Aegyptiis, ſcilicet, Indis, Aſſyriis, Armenis, Chaldis, (de Chaldia vid. Thema 8. p. 12. Pariſ. p. 7. Veneta.) Iberis, Zechis, Cabiris, iisque omnibus qui Manetis doctrinam, et opiniones ſequuntur.

20) Hiſt. Goth. L. 4.

21) Libro ſecundo, ipſo initio, p. 55. Pariſina p. 40. Veneta.

22) Dobner nullam pagellam vacuam a Phaſi relinquit; proque Zichis ad Phaſim agglutinandis, ea contentione pugnat, vt aues noſtras, quas Phaſianos dicimus, a Zichis in Boemiam illatas velit; non latet me eius conſilium: nouerat ille non plane procul Henetos colere, ſtuduit Zichos Henetis affines reddere; ignarus eos eorum eſſe conſanguineos, atque teſte Porphyrogen. de Adm. Imp. L. I. Themat. genere pariter eſſe *Aegyptios.* Quod autem quidam ſcriptores Slauos vocent Henetos, eodem iure id faciunt, quo eos Nomades, Venedos, Vandalos, Gallos, Vahlos a vagatione, circuitione, profectione peregrinationeque continua, alii appellarunt. Vox enim Heneti idem eſt, quod in Graeca Nomades, aut Vendi, Vandali . . in Teutonica. Heneti vero tractim ad Paphlagones accepti, ſine dubio ſunt genere Aegyptii. Eadem origine ſunt Heniochi et veteres Moſci, ſeu Moſyneci, quae nobis alibi facient pleniorem paginam.

ambigere non liceat: dicunt illa, singulos Phasis accolas Aegyptiacae, (non Slauicae) genti sanguinem cum moribus debere. Negant, Lazos eorumque Contribules Zichos, ante Iustiniani imperatoris tempora, sedibus auitis fuisse motos. Alia nunc quam iusta atque liberali confidentia opus est, si quis neget, gente esse Aegyptios, aut tueatur in prima Hunnorum irruptione in Europam immigrasse, siue Polonos Boemosque condidisse. Si quis tamen porro Slauos et Aegyptios vnam eandemque, lingua et sanguine, esse gentem contenderit, nihil recuso: quin idem habeatur aurum Croesi, et aurum Comicum: Aegyptios, quos Germani Zigeuneros (Zieh einher) vocant, a Lechitis praecipue autem Zichos dici Cikos a Czechis appellari Cikanos.

Ite per obliquos coeli mala somnia mundos
Irrequieta vagi qua difflant nubila nimbi.
(Ausonius L. Epigram.)

Nunc praecipue curae fuerit, curta disputatione complecti, an Lechus, Czechus, Russusque, a quibus gentes agnomines nomen habere, communis est persuasio, iis documentorum destituantur adiumentis, vt inter delirae vetustatis fabulamenta ac figmenta proiici iure mereantur. Hic ne limitem breuitatis incauti excurramus, abstinebimus, refutatis iam alias aduersae partis coniecturis, atratum Theta nouo examine illinere; ac in hoc viri quique doctissimi longum sane otium mihi indixerunt, somnia aduersariorum eo rationum robore opprimentes, vt contemptu veteri potius, quam nouo examine eorum opinatio sit digna.

Quod tamen ad delendam, quae in bonis libris temere sese intrusit, audacem quandam opinionem, nullus

satis

ſatis labor eſt: ad eam, ſicubi opportunitas tulerit, ſupremos vngues aduertere non negligemus.

Quod Lechum, Czechum atque Ruſſum fratres Slavorum Principes Lechis, Czechis, et Ruſſis nomen dediſſe, ac gentis ab iis accepiſſe, firmiſſima omnium primae periodi hiſtoriarum baſis fulcit traditio: tuto ei fidem obſtringimus; ſolet enim illa in commerita virorum tempeſtate ſua illuſtrium praeconia excurrere; probat, aut reprobat, quae oculis vſurpauit, nec tacere poteſt, quae ipſa miratur, ſed cöeuam ſemper virtuti famam miſit ad poſteros; ſingulari coeli in viros quoque Principes munere: tum ne grati animi, quo etiam ferae mouentur, ipſi deſtituerentur pignore, tum, ac inprimis, vt intelligeret populus, quantum Principi debeat ſuo, cui nomen ipſum fert acceptum. Et cedo: mentiatur, fallatque, quicquid vetuſtas literarum expers famae conſtantis beneficio ad nos vſque tranſmiſit; nulla ergo inter homines ante cognitas et vſurpatas literas erit hiſtoria et veritas? nihil verum, quod eſt vetuſtum? ac omne aeuum, quemadmodum litterarum, ita veracitatis etiam fuerit ſterile, vnoque infelicium fabularum lolio obſitum? neque mentium atque intellectuum, quae verum a falſo diſcreuerint, ferax? haud putem. Poterant veteres homines vera dicere, quia poterant falſa; poterant veritatem illi ſcribere, quia ſcripſerunt fabulas, perinde poterat verum ad nos propagari, quia audiebatur ſicut et propagatae ſunt fabulae, quae legebantur. Nihil ideo non fictum, quia nouum aut ſcriptum? nihil falſum, quod vetus aut eſt narratum; poteſt enim narratio antiquiſſima etiam eſſe veriſſima: et vetus ſuper origine Lechici, Czechici, atque Ruſſici nominis narratio, iudicio grauiſſimorum virorum propius a

veritate abest, quam illa hodie scripta, a Zichis, Lazisque repetita, fabula.

Conantur quidem argumentum a traditione et fama petitum, quo vel ipsa ecclesia semper vsa est felicissime, elidere aduersarii contendendo: theologicam ab historica traditionem esse secernendam: sed verba prodigunt, quorum esse deberent parcissimi. Nemini sane nostrum in mentem aliquando venit, Triumuiratum Slauicum ope traditionis theologicae a fabula vindicare. quid ergo rursus dicunt, nisi id quod petitur? Traditio theologica, theologicam fidem adstruit, nos principibus nostris fidem humanam quae veris, vtut non omnino explicitis atque ornatis historiis habetur, vindicamus. Si crisis, qua praecipuus eorum Gigas a capite ad talos armatum sese gloriatur [23] si crisis inquam sincera sinit: aeque theologicam, apostolicam, ecclesiasticamue atque historicam aliamque eodem talo incedentem traditionem humanam aut repudient; aut ingenue fateantur, famam eiusmodi publicam, cuius fontem, quemadmodum Nili, reperire non sit facile, quaeue eodem, quo ante plurima secula solebat, iure vt Nilus eodem fluxu, hodie in aures animosque, doctorum pariter, et non doctorum hominum, sese insinuat: dignam esse, cui loquenti seruata theologicae atque historicae traditionis analogia, ac gradu fidei, quo humana a diuina superatur, assensus obstringatur. Vix enim, ac ne vix quidem, futurum autumem, quin securi illa ad exscindendam traditionem historicam posita, non simul tempore theologica quoque succidatur, viaque vni pandatur scepticismo! quae etiam sufficiens causa fuerit, quamobrem *Rurik* Russorum, *Piastus* Polonorum, aut *Přzemisl* Boëmorum princeps cum suis

23) Dobner passim, at in apolog. vtraque pagina.

ſuis ſucceſſoribus in hiſtoriis illarum gentium, locum porro ſuum habere mereantur, eiectis Lecho, Ruſſo et Czecho? eodem enim publicae famae atque traditionis hiſtoricae, quo Czechus, Lechus atque Ruſſus, tibicine illi principalis ſtirpis genearchae fulciuntur, quos tamen ex argumentis negatiuis, ex nominibus appellatiuis, [24] minuſue ad lentorem Grammaticae exactis Patronymicis [25] id eſt ex ſolis autumationibus, ſuſpicionibus coniecturis, atque veroſimilitudinibus in figmentorum barbariem proſcribere creticum forte potius quam criticum eſſet.

Non intelligimus etiam, quid ſibi velint, nolintue aduerſarii aſſeuerando: Principes Slauos Lechum Czechum et Ruſſum, decimi quarti demum ſaeculi, ceu artis criti-

24) Czech, Lech, Ruſſ, ſunt nomina *verbalia*, a verbis cziem hodie czigu, et czugu exploro, a Lechim hodie Lezim, iaceo, habito, caſtra metor, et obſideo, a Ruſſim hodie Ruſſam, celeriter curro. Quod hodie dicimus cz̃il, Lehl, ruſſal, veteres dicebant cziech, Lech, id eſt explorauit, iacuit, celeriter cucurrit. Hinc Continuator Porphyrogeniti ſaeculi X. ſcriptor C. 39. Ruſſos, Dromitas, velut palantes dicas, ac curſu veloces, vocari a Graecis teſtatur. nec ſcio, quid ſciant, qui nomina appellatiua in propria integrarum etiam gentium tranſire ignorant. Quid enim amabo eſt noſtrum Turek, quam hic heros, quid Niemecz, quam mutus . . ſed id ſciunt, qui in menſa Iouis glandes eſſe norunt.

25) Porphyrog. L. de Adm. Imp. C. 23. probat in denominatiuis caſus rectos a genitiuis formari, vt Iber, Iberi, Iberus, Iberia. rectius ergo Lechi, vel Lechii, Czechi, vel Czechii, Ruſſi, vel Ruſſii, quam Lechitae, Czechitae, Ruſſitaeque hi populi dicuntur. Eleganter etiam P. Benedict. a S. Ioſepho piarum ſcholarum L. Epodon Ode 31. ordinem ſuum *Carinam*, vocat *Calaſantiam*. Sed quale rurſus argumentum? vocabulum Czechorum . . . non reſpondet regulis grammaticae latinae: ergo Czech eſt fabula: eſt nempe deſumtum *ex famoſo illo* organo peripatetico ſcientiarum, quod P. Tobias Thoma a S. Elia Clericor. Regular. pauperum matris Dei ſcholarum piarum hoc ſaeculo Litomiſchlii edidit. Eſt libellus in forma vt aiunt XVI. in tres partituras, (ita eas vocat auctor) diuiſus, quarum prima diſputationes XII. ſecunda II. tertia I. et vniuerſum opus pagellas 37. continet.

criticae rudis, fabularum vero compingendarum scientissimi, inuentum esse. At quam infeliciter primum statuerint, doctissima hoc super argumento grauissimorum virorum iudicia nuper euicerunt. [26] alterum vt tangam, cui bono ab aduersariis scriptores veteres ignorantiae insimulentur, non video; an omnes putant, veteres, quorum sunt quidam rerum gestarum magnitudine satis inclyti, iudicio subacto caruisse, neque nouisse, de re quacunque, historica minime exempta, recte cogitare; ex ordine iudicare atque clare ac sine errore cogitata, iudicataque facili sermone colligere? sed nesciuerint nonnulli quidem, omnes tamen de rei cuiuspiam veritate dubitare et requirere non sciuisse, ac illos praesertim istud ignorauisse, qui velut reliquis prudentiores doctioresque manus animumque scribendae historiae dederunt; in qua felicitatis publicae augendae fontes indicauerint; quis dicere ausit. Ei qua enim, amabo, et quanta Crisi opus est, ad consignandum literis id quod palam et publice notum ferebatur, Lechos a Lecho, Czechos a Czecho, Russosque a Russo, ceu viris fortissimis, suique amantissimis, nomen obtinuisse? Tartarum ipsum nos recipimus, quod fabulosum est Tartari reiicimus. Cur igitur ab ignorata illa crisi, qua hodie magis forte quam olim opus erat, scriptoribus Slauicis inuidia erat cienda? an industria, sinceritate, fidelitate, sufficiente veritatis vestigandae, et studio et affectu, ac reliquis probo historico dignis dotibus eos caruisse, autumant? Abiiciantur omnia chronica tempestatis istius, in qua vix tenuis quaedam (vt aiunt) artis hodiernae criticae fuit notitia; quam vereor, ne nimium calamitosa nostra sit messis, nisi legamus,

26) Vide Part. 3. Diss. de Lecho. Lips. ex offic. Breitkopf. anno 1770.

mus, quae veteres illi seminarunt. Vt itaque patriae historiae, qualem qualem veritatem, aut eius etiam vestigium, vmbramue, (quippe eius certitudo deficientibus coaeuis monimentis haberi nullo modo possit) a maioribus relictam, sartam tectamque seruemus, neue nobis putidis ac non nisi grammaticali verosimilitudine etymologisationibus nisuris, atque omni aetati, veterumque scriptorum simplicitati, et ignoratis et repugnantibus fabellis historiam patriae foedari patiamur: his veteribus chronicis aeuo artis criticae, vt putatur, ignaro conscriptis, fidem nos habere necesse est. quantum enim veritatis in processu veterum codicum sperare possumus nos esse consequuturos, quos in ipso vestibulo fabulari mentirique putemus.

Sed ne logos logis cumulemus, scitissime hunc campum nuper decurrit Cl. et Cel. Vir D. Carolus Andreas Belius t. t. Vniuersi studii Lipsiensis Rector Magnificus: ibi vim ac potestatem, qua ad proliciendam apud homines non plane ferreos, fidem traditio pollet, vberrime ediscere, si aduersariis libet, licebit. 27) Quae fides veteribus Slauorum quoque narrationibus, aeque in parte orbis orientis atque occidentis habita olim fuerit, negligere non vacat. Constantinus Porphyrogenneta, cum Slauos in Achaia sub Nicephoro CPolitano Imperatore, ope S. Andreae superatos, eiusdemque S. Apostolicae ecclesiae veluti spolium huius victoriae addictos fuisse retulisset, vni Slauorum narrationi innixus subdit: *atque haec quidem antiqui posteris suis sine scripto tradiderunt, vt, secundum prophetam, generatio ventura sciret miraculum factum intercessione apostoli, narraretque filiis suis, vt ne obli-*

27) Inter easdem Differt. Loco 2.

obliuiſcantur. [28] Helmoldus memoria eſſe validos Slauos fatetur. *Narrant* (inquit) *ſeniores Slauorum, qui omnes barbarorum* (Slauorum) *geſtas res memoria tenent:* ac iterum: *Multa in hunc modum per diuerſas Slauoram ac Nordalbingorum prouincias tunc facta memorantur, quae ſcriptorum penuria nunc* (Saec. nempe XII.) *habentur pro fabulis.* [29] Si Slaui veteres non omnia etiam, quae vera eſſe ſciebant, litteris mandabant, ſi narrationibus ſuis veritates memoria dignas ad filios nepoteſque, ne obliuioni traderentur, tranſmittere erant ſoliti, teſte medii decimi ſaeculi ſcriptore ac imperatore CPolitano: ſine formidine erroris traditionibus eorum aſſentiri et nos poſſumus. Si ſeniores Slaui omnes maiorum ſuorum geſtas res (ſcilicet memoria dignas) memoria tenuerunt, ſi ea narrata Slauorum, quae ſaeculo XII. ſcriptorum penuria habebantur pro fabulis, hodie in *Ditmaro*, *Adamo* Bremenſi, et veteris Slauici chronici *anonymo*, ceu veritates ſatis certas colimus: veterum Slauorum de Triumuiratu Slauonico narrationi, quam a tempore, cuius memoria non ſuppetit, vno conſtanter ore, et oriens et occidens, ac ipſe vaſtiſſimus ſeptentrio, loquitur et celebrat, fidem omnem omnino nunc detrahere non audebit criticus. Nobis de Lecho Ruſſo atque Czecho, quod de Caſto Simocatta dixit, ſperare licet: *Caſtum hoſtes* [30] (ait ille) *ingenti pecunia aeſtimatum reddiderunt* (Romanis) *vt ſenes noſtri memorant, et iis fidem commodare nihil habet periculi.*

Quod equidem tanto aequius aſſeuerare fas eſt, quanto certiora in promtu ſunt documenta, Slauos veteres ante litteras habuiſſe, quibus domi vterentur, quam ſiue

28) De Adm. Imp. c. 49. p. 132. Pariſ. p. 107. Venetae.

29) L. I. Cap. 16. tomo 2. Rerum Brunſuicenſium Leibnitii.

30) L. I. C. 17.

siue Thessalonica semi graecas, siue demum Roma accivissent latinas. Demus enim aduersariis, pro quo totis viribus dimicant, vt ex luto faciant arcem, Zichosque suos ceu Sarmatas Asiaticos, Slauos fuisse euincant, demus, inquam, Sarmatas veteres Slauos fuisse: at Sarmatas gentibus litteras colentibus connumerat chronicon paschale. [31] Sinamus, eos Antas Venedosque olim fuisse dictos, hos foederi imperii Gothorum, quos Vlphilas, aut quisquis ille fuerit, litteras subinde nosse docuit, ab anno prope 350. sub Ermanaricо innexos fuisse prodit Iornandes [32] anno vero 586. in Italiam a Longobardis inductos Sarmatas et Bulgaros tradit Paulus Diaconus; [33] aliqua parte autem lucem christianae philosophiae multo ante illuxisse Bulgaris, Cosmas Monachus Aegyptius seculi VI. scriptor [34] testatur. Procopius vero Slauum quendam mira arte Romanum ducem Chilbudium mentientem, qui *latine loqui* ne arti suae verisimilitudinis fucus deesset, sciuerit, longa narrationis serie depingit. [35] B. Theophanes praeterea ad a. 984. narrat a Mahumede Arabum duce, transmissa ad Slauorum, qui Iustiniano iuniori militauerant, principem, pharetra aureis nummis multisque promissionibus plena, ad deserendum Iustinianum sollicitatum. [36] Nicetam vero origine Slauum suffragio imperatoris in solium patriarchae CPolitani fuisse euectum [37] sed manus vel inuitas ab aceruo testimoniorum, quae alibi largior spargendi locus erit, iam retraho, atque aequo animo expendi obsecro:

 An

31) Ed. Par. p. 27. inter Byzant. editionis Venetae p. 23.

32) Goth. C. 23.

33) Gest. Longobard. L. 2. c. 26.

34) In Topograph. Christ. L. 3. p. 179. in collectione noua *Montfauconii* Paris. 1707. fol.

35) Hist. Goth. L. 3.

36) P. 306. (Venetae edit. p. 243.)

37) P. 294. editio Veneta (p. 370. Parisina.)

An Slaui ante gentibus litteras habentibus accenſiti, quam nomen, quo deinceps inclaruerunt maxime, eorum audiretur? an veteribus Gothis, et literis, et religioni chriſtianae genti deditae immixti aeque, atque deinde Longobardis foederati? an latine loqui ſolo inter barbaros omnium literarum rudiſſimos vſu condiſcere? an Slavi, e quorum genere quidam iam ſeculo VII. patriciatus Palatii ſcholarumque [38] in aula Cpolitana muneribus aucti ſunt, octauo autem ſaeculo Ianes quidam cognomento Lazar lectoratus honorem [39] Nicetas vero ipſum honoris apicem in eccleſia graeca conſecuti fuere; expendi, inquam, ſana criſi, ex his cuperem, an Slaui generatim accepti vſque ad exſpirans ſeculum IX. ſeu a. 890. ea putida ex cauſa, quod nulla in promtu ſint veteris Slauorum rei litterariae monumenta, aut noſtri rem hanc diſertis verbis non memorent ſcriptores, nullas litteras nouiſſe, ac analphabeti dici mereantur. [40] *Diſertis dixi verbis:* Si enim veſtigandae veritati, quam ſomniis, et inanibus hypotheſibus ſuis poliendis dediti magis eſſent aduerſarii aeque in Coſmae noſtri Boemo Czechum atque in Criſtanni

38) B. Niceph. ad A. 634. in Breu. Hiſt. Porph. in Baſil. C. 16. et C. 50.

39) Leo Grammat. in Alexandro Imp. p. 487. Pariſ. 386. Veneta.

40) Balbin. Epitom. hiſt. L. I. C. 10. in notis ad Criſtan. caruiſſe (inquit) omnibus litteris Slauicas gentes ad vſque S. Cyrilli tempora difficile eſt credere. Inueniuntur etiam nummi Libuſſae literati. Anonym. in notitia de Poeſi Boh. §. I. certum eſt (ait) ex probatiſſimis hiſtoricis apud Boëmos Slauicarum litterarum ſtudia publicis in ſcholis floruiſſe ad Czechi tempora.... Theobaldus iunior in topographia Boem. Sect. 6. ad A. 677. Hoc pacto opes fluuiales (aureae nempe arenae) numinis munificentia Czechiadis patuerunt. Hinc loca non tam aedificiis exornarunt, ſed et in litteras fidas rerum cuſtodes retulerunt. Vnde haec hauſerit Theobaldus ſect. 7. ipſe indicat, multa nempe MS. quae antehac in *tenebris et pulvere* (verba eius ſunt) *cum blattis, et tineis vixerunt*, in promtu habebat.

ſtanni *nouis Cyrillicis* characteribus veteres Slauorum litteras, ſecuri tenerent; quid enim eſt? quod Criſtannus genti Slauicae a Cyrillo ſeu Conſtantino, non *primos*, ſed *nouos* oblatos fuiſſe litterarum apices aſſeuerat? ſi veteribus fuerunt deſtituti? Inuenit fateor, Conſtantinus, Philoſophus ille, litteras nouas, quas *Cyrillicas* dicimus, deditque Slauis meis, quod Eſdras olim Hebraeis ſuis dicitur impendiſſe beneficium. Eruditi nempe prius erant maiores noſtri Slauice, quam graecas, quarum facile XVIII. in alphabeto Cyrillico homines docti deprehendunt, nouerunt litteras, quibus prima illuſtrium virorum horum geſta ac originem nominis ſui conſignaſſe, quia prudentiae eſt conſentaneum, et nihil repugnat, prudentius fuerit affirmare quam fatuorum inſtar, quae neſcias, omnino inficiari, cum fieri etiam poſſit, vt multa nos lateant, quae reipſa vere facta ſunt. Cui rei enim adhibuerunt litteras iſtas ſuas, ſi eas ab hiſtoria abſtinuerunt?

Conuenit tandem noſtris, quae eorum veri eſt reverentia, aduerſariis nobiſcum, et litteras inter Slauos Boemos ſaeculo nono increbuiſſe, et ſcholas publicas fuiſſe apertas. Volunt vt puto dicere: fuiſſe illo aeuo, qui vellent litteras diſcere, nec defuiſſe, qui vellent docere; vbi vero et magiſtros et diſcipulos fuiſſe ſcimus, ibi volumina a doctis litteras hominibus conſcripta, e quibus tum Deum colere cum et patriam exemplo maiorum tueri, tum magiſtri praelegerent, tum diſcipuli notarent. Diſciplinam religionis e codice [41] Cyrillico ſeu nouis characteribus deſcripto, leges vero et iuris placita

41) Franc. Horny in Praef. Adag. Boem. ad Lect. ſimile quid - - - praeſtitit Cyrillus apologos elegantiſſimos lingua Boemo-Slauica componens, qui apud nos iam ante annos centenos, et vltra ſunt editi.

olim a Prz̃emislao [42] inuenta, e tabulis veteribus litteris exsculptis praeceptores cum interpretabantur, tum ad christianae pietatis modestiam temperata exigebant, exacta tyrones litteris *nouis* Cyrillicis consecrabant. Codices sacros, calculo suo adiecto, ipse Dobnerus [43] vtut id prudenter a nemine possit negari, non defuisse Boemis concedit: nullam tamen discriminis causam adducit, quamobrem veteres illi homines in codicillos retulerint sacra, et neglexerint profana? neque cessabimus in Dobnero fidem desiderare, dum euincat, principio statim inter Slauos illatae christianae fidei, ita vni religioni solisque sacris colla submisisse Boemos, vt eo omnem memoriam paternarum traditionum, quibus erant innutriti, exuerent, et monachos induti reipublicae in ciuili felicitate seruandae augendaeque omnem curam abiecerint. Nempe semper id dandum fuerat gentibus sub initia christianismi, vt porro ritus adeo historicos retinerent, sola historia anglicorum apostolorum sub Gregorio M. id satis confirmat. Itaque vereor, vt ne gnaros Slauici in retinendis moribus tuendisque tempore, et consuetudine inueteratis superstitionibus prope obstinati ingenii, fidem adstruat; vt enim non memorem, Biographos S. Wenceslai Ludmillae atque Adalberti, ipse Cosmas Pragensis Decanus testatur, initio adhuc saeculi XI. eos mores in Boemia obtinuisse, vt tunc duceretur *decori*, quod nunc (saeculo XII.) erat pudori. [44]

Cognata

42) Cosm. Prag. L. I. Hic vir (Prz̃misl.) qui vere ex virtutis merito dicendus est vir - - - - omnia iura quibus haec terra vtitur (saeculo nempe XII.) et regitur, solus cum sola Libussa dictauit.

43) In Apolog. passim.

44) L. I. quia tunc temporis, prout cuique placuit, binas vel ternas coniuges habere licuit, nec nefas fuit viro, raptae alterius vxori, et vxorem alterius nubere marito.

Cognata Slauis obstinatio ac ad paternas traditiones tenacior adhaesio, graue vt reor Triumuiratui Slauico a fabula figmentoue vindicando, suppeditat testimonium. Cum enim saeculi X. fine, quem S. Adalbertus Episcopus Pragensis quatuor Slauicarum gentium apostolus, gloriosa morte sua consignauerat, nulla complurium virorum apostolicorum industria, aut domesticorum principum auctoritate vicinarumque gentium exemplo effici potuerit: vt celebre christianorum nomen constanter Slaui profiterentur; quin semel atque iterum assumtum leuissime reiicerent, idque ea potissimum de causa agerent, quod a maiorum suorum placitis discedendum sibi minime putarent: ne leuissimae quidem adsuetus credulitati animo aliquando assecuturus est, vt fabulosum quoddam idque saeculo primum XIV. effictum, neque magnopere honoratum: deposito vetere, nouum maioribusque suis incognitum, sine diligenti inquisitione, qualis viros graues decet, nomen assumpserint; *nomen*, inquam, *non magnopere honoratum*, quia ab homine profugo homicida, patriaque extorre, iam demum repetendum, nunquam admissuri erant, nisi eius memoriam in codicibus vetustissimis monumentisque priscis, descriptum, ac adeo firmis testibus subnixa fama publica celebrasset; vt nullis scriptis prioribus reuinci, aut pugnante sibi quorundam, vt minimum, veterum persuasione, refelli posset: quod igitur a tempore quauis hominum memoria superiore, et in oriente, occidente, et septentrione, aliisque inter se separatissimis populis, traditionum paternarum tenacissimis, creditum semper est: id minime confictum aut recens auditum, sed necesse est eis gentibus fuisse exploratissimum:

rito. At quod nunc adscribitur pudori, hoc tum fuit magno decori, si vir vna coniuge, aut coniunx vno viro, contenti viverent.

tiſſimum: Nominis Czechici, Lechici atque Ruſſici priſcos ſuos maiores, tribus Slauici populi ducibus Czecho Lecho atque Ruſſo acceptum retuliſſe; neque cauſam habuerunt idoneam, quamobrem maiores ac parentes illos ſuos falſam nominis ſui originem ad omnes poſteros propagaſſe credere poſſent. Accedit, nullam quoque legitimam cauſam aſſignari poſſe, cur Czechum, Lechum et Ruſſum ab ignaro quopiam ſcriptore poſterius effictos fuiſſe nobis perſuadeamus, aut ab vno ſcriptore omnes reliquos, oriente, occidente, ac ſeptentrione ſeparatos chronographos, atque populos, aut potuiſſe aut voluiſſe in errorem compelli; cum fieri non poſſit, vt in falſum teſtimonium tam multi facillime conſpirent.

Vnam quidem coniecturam adferunt aduerſarii, ignorantiam nempe cuiuſdam Dalemili; qui tamen an albus an ater fuerit, vtut iam Canonicum, iam Decanum Vetero-Boleslauiae quoque fuiſſe comminiſcantur, quoue tempore vixerit, aut diem ſuum obierit, dicere neſciunt; quia ipſe Balbinus, qui veteris Boleslauiae ſumma induſtria hiſtoriam ſcripſerat, dicere non habuit; ignorantiam, inquam, Dalemili, nec non reliquorum chronographorum aeuo iſti vſitatum aliena exſcribendi ſtudium iis obiiciunt. Si ignarus ſimplexque fuit Dalemilus ingenio ad fingendam Lechi aut Czechi Ruſſiue fabulam minime valuit, ſed a mendacio, fallaciiſque longiſſime abſuit; et habuerit ingenium, quis amabo ſine lucro malus eſt? quod praemium, mercedemque ex putido mendacio ſperare potuit? Sperauerit autem: alicuius ergo intereſſe debuit, vt triumuiratus iſte effingeretur? Vah miſeram figuli noſtri ſortem, qui dum fingit, ad codices veteres ceu teſtes, per quos ſui mendacii conuinci poſſit prouocet,

cet, [45] ea tamen fingat, quibus mille Cataſtae, fidiculae mille, ipſaque ſuppliciorum grauiſſima crux debeatur! quis enim animum inducat, ut exiſtimet praemio potius, quam ſtigmate dignum eſſe ſcriptorem, qui ea ementiri non exhorreſcit, quae gentem deprimant, non extollant; proſtituant, non commendent, nec celebrent, ſed calumnientur! Profecto ſi iam a figmentis fabulaue tela erat ordienda; illa tandem comminiſci decebat, quae ad gentis gloriae cupidiſſimae munificentiam, maieſtatemque factura acceſſionem credebantur. Mentiendum ſcribendumque erat fidenter, Czechum, Lechum, et Ruſſum Iouis eſſe filios, *Magni Nemrod nepotes*, *nutritos in Engaddi* [46] *Reſtauratores rerum*, *domitores hoſtium, immenſi regnatores oceani*, *gentis ſclauicae numen alterum*, *Germaniae terrorem Europae vniuerſae arbitros.* [47] At quod hominem facinoroſum, homicidam deteſtabilem, patria meliore exulem in hac Hercyniae conualle praeſidium cum fratribus ac aliis, vti ſui mali complicibus, ita inuidiae calamitatiſque

45) Exiſtimatus Dalemil in praeloquio Inalezech K: oniku w Knieze ſtareho w Boleslawe - - - Protoz budeſsly Prazskwneb Brzewnosku ciſti, tim ſe prawie ugiſti, zet nany geſt menie poſtaweno Ale Slow wice mluweno. Opatowska ta Caſto bludi Ait ywyce mluwy wſſak tebe sludi. Wiſſchradska mi ſe naymenie Slibyla, ale naglepſit yeſt w Boleslawi byla. Ac inueni chronicon apud ſenem principem vel ſacerdotem (nam nomenclator chronico annexus *lit. K* monet vocabulum Kniez ſignificare principem; hodierno more notat ſacerdotem) Vetero-Boleslauiae.- Hinc ſi hiſtoriam Pragenſem, aut legeris Brzewnouienſem, certus plane eſto, quod in iis res pauciores leges, verba tantum plura inuenies. Opatouicenſis exerrat crebro, ſaepe fallit, verum loquitur raro. Wiſſehradenſis mihi minime placuit. Vetero Boleslauiae optima fuit.

46) Excellent. D. Ladislaus Szoreny Ep. Sirm. in Vind. Sirm. p. 100. id Atilae tribuit.

47) Stephanus Petiot. S. I. in Genethl. Delphini.

tatisque consortibus, Czechum inuenisse prodiderit; haec aut confingi primum saeculo XIV. aut conficta, carminibus per tot saecula potuisse celebrari; adusque autem tempora nostra per alium quam Dobnerum *prope inuictis*, quae eius est iactantia, *argumentis* refelli non potuisse, credat ille, qui potest.

Erat proinde prior Triumuiratus Slauorum principum, quam Lechi, Poloni; Czechi, Boemi; et Russi dicti sunt Moscouitae; quia Slaui ante habitabant per tribus [48]) quam regna; quaerebant illi primum terras, vt facerent prouincias; antiquior eis erat cura tuendi propria, quam inuadendi aliena. Nec Lechi, Czechi aut Russi instar deuictarum plurium gentium, ducibus suis nomen dederunt, quia non erant conuenae sed contribules, fortunaeque eiusdem consortes; a ducibus ergo suis aeque nomen atque sortem acceperunt. Ita hodie homines sub signa aut praesidium viri cuiuspiam fortis potentisque conuolantes, eius nomine amant ab aliis secerni, gaudentque ille Iabłonouius, Radziuilius, ille Lobkouicius, Czerninius, Kolowrataeus, Kynskyanus, alius alio dominationis suae nomine salutari, quae quidem adeo sunt indubitata, vt in praesens in maximae gratiae, gloriaeque locum reponi soleat, si nobilissimo cuiquam etiam viro de nomine summi sui principis in *symbolis* ferenda *vna* contingat *litera;* vt mirum non sit, sonantiore narrationis apparatu ab historicis quibusque referri iam Přemislaum nostrum fortasse nomen Ottocari ab imperatore Ottone accepisse, quam regio diademate fuisse donatum.

Quod si coniecturas non plane leuissimas, ceu eas quibus aduersarii nostri cornua disceptationis suae instruunt, in subsidium non necessariae probationis vocare licet:

48) Procop. Goth. L. 3. Cosm. Prag. L. I.

licet: promptum fuerit dicere, illa tria Slauorum agmina, quae Procopius [49] per Europam mirae feritatis facinora, non per incursus duntaxat populando, sed velut in sede sua, nullo ab hoste metu, hibernantia subinde Constantinum legionum romanarum imperatorem vicisse, fructumque victoriae longe pulcherrimum signum seu vexillum Constantini, narrat fuisse adeptos; illa tria, inquam, agmina Lechi, Czechi ac Russi, obstricto sacramento militasse. Quid enim vetustissima fama in praesens aliud praedicat de *Aquila* Lechorum Czechorum [50] Russorumque, *antiquissimo symbolo*, nisi spolium esse deuicto Constantino imperatori detractum? quam facile autem *fama antiquitus sparsa* Constantinus imperator Romanorum cum Constantiano, romanorum militum imperatore, manente omni cetera facti veritate, confundi potuerit, quis non videt? vitii tamen istius non apud Slauos, sed eorum interpretes fons enatus est; cum enim Slaui gentili lingua inter Constantini, Constantis, aut Constantiani nomina, parum discernant, *Woieuodam* vero aequiuoce summum principem, seu belli pacisque imperatorem notent: interpres latinus, qui de Constantiano ne sibilum quidem audiuerat, id quod sibi verosimilius videbatur, scripsit Constantinum imperatorem, eodemque errore lapsus est, quo feruntur Lazis, Lechos, Zichisque Czechos substituentes aduersarii ac reliqui omnes, quibus unum verborum sonum sine rerum sensu sequi libet.

Narrant porro chronica Slauorum, Czechum homicidii patrati caussa e Croatia, ceu parte Illyrici fuga arrepta, in solitudinis Germaniae, magnae cum senis fratribus, aliisque voluntariis exulibus, consortibus suis, sese

 tandem

49) Goth. L. 3. in fine. 50) Cosmas L. 1.

tandem penetrasse; quam potenter hic succinctus sermo stomachum aduersariis mouerit, argumento est eorum nausea, qua Czechum cum fratribus in fabularum lutum reiiciunt. Quid enim (dicunt illi) Czechus sex plane fratres, quid ex Croatia, quae nondum erat, quid denique homicidium, et quale illud? omnia anilis fabella. At istud dicunt tantum, non confirmant. Iactat quidem non nemo [51] iam duodecim, iam decem, iam plus quam decem, tot nempe, vt nullum faciant numerum, vetusta monimenta alicubi a se fuisse producta, in quibus primorum Slauorum principum nec vestigium appareat. Ne vero oscitantiae ab aduersariis insimulemur, placet singula illa monumenta summa breuitate excutere, quo suo se indicio manifestet, iustane sit querela, an friuola aduersariorum iactantia? Primus omnium in campum protruditur Cristannus; sed quale praesidium contra Czechum, Lechum, et Russum ab eo sperandum sit, non vno loco prodit Dobner [52] qui Cristanno ea, quae contra Czechum ex illo adduxit, eodem libro, critico examine subinde in lucem proferendo se abiudicaturum pollicetur; alio vero libro eundem Cristannum ex quadam legenda saeculo XV. consarcinata, sua mutuasse affirmat. [53] Si vere haec

51) Dobner. in Apolog. passim.

52) In Prodrom. Hayek. p. 177. quare vti peculiari tractatione et examine critico suo tempore in lucem proferendo ostendimus (s. forte ostendemus) vitam et passionem S. Ludmillae, et Wenceslai a Balbino in epitome vulgatam, minime Cristanno Boleslai Saeui filio, sed alteri posteriori eiusdem nominis, stirpisque Ducalis competere . . . de eodem Tom. 3. l. c. p. 300. Nam supra laudata antiquissima vita S. Ludmillae bibliothecae S. I. . . e qua passim sua *mutuauit Cristannus*, instruit nos. Sed nimirum id Cristannus in suo opere loquitur, cum S. Adalberto viuente, eique opus nuncupat. Alter ille anonymus loquitur de S. Adalberto martyre, Cristannus tamen hunc exscripsit.

53) Apolog. p. 249.

haec Dobner: Cristannus igitur primus Boëmiae non est scriptor; at Cristannus, cum tacet Czechum, est *dux* et *magister*, est *omnium primus* et scriptor *antiquissimus?* dum rursus loquitur, quae audire nollet Dobner, est veterum omnium postremus; sed apage nugas! Cristanni prima verba, quibus libellum suum orsus est, audiamus: *Passionem Beati Wenceslai simul cum Auia sua beata Ludmilla .... diuersis compositionibus, et non pleniter disertam reperiens, dignum duxi, vt vestram* (s. nempe S. Adalberti qui anno 997. communiter statuitur martyrium subiisse) *sanctitatem adirem, quo ex iussione vestra simul et licentia aliquo modo eam corrigerem, vel si qua deessent, hos, qui adhuc superstites essent, senes, seu religiosos, eosque, qui eorum gesta vel acie oculorum hausissent, seu audita aliorum narratione comperissent, percontarer, atque haec adderem.* Quae Cristanni sincera confessio quascunque vanas grammaticorum ex stylo, velut victimarum extis enatas diuinationes, valido satis ictu prosternit. scriptor enim, qui argumentum ab aliis *diuersis compositionibus quidem*, non tamen *plene disertum* reperit, illudque *corrigere* duntaxat, et *plenius reddere* intendit: eiusdem argumenti *scriptor primus*, qui vero idem ipsum scriptum secundo Pragensi episcopo saeculo X. viuenti nuncupat, aut qui gesta S. Wenceslai describens a *senibus superstitibus, qui ea vel acie oculorum hauserant, seu audita aliorum narratione compererant*, se collegisse fatetur: omnium veterum postremus esse aut dici nequit. Quod vero phrasis latina saeculo X. non congruat, aliud non arguit, quam codicem a Cristanno saeculo X. quo nempe adhuc lingua Slauica in sacris officiis eo erat in pretio, vt *cuncto populo*, teste anonymo de conuersione Carentanorum, *latinum faceret vilescere*, gentili lingua fuisse conscriptum; qui posterius, cum lin-

gua latina in sacris magis magisque in Boëmia inualesceret, latio fuerit donatus. Scripsisse autem in lingua vernacula Cristannum, inde colligere etiam licet, quod eo fine historiam vitae S. Ludmillae, atque Wenceslai se compilasse indicet author, *quo saltem* (verba eius sunt) *per parochiam vestram* (seu Pragensem episcopatum) *scribatur legaturque;* ac linguae Slauicae in sacris vsum per ecclesias Slauicas commendet, multasque (vbi iterato loquitur) *ex hoc animas Christo Domino acquiri* palam testetur. Vitam autem SS. Pragensium principum patrio sermone scribens, vtut Przemislaum, et Libussam eius coniugem, tanquam primum Pragensium ducum genearcham, e quibus S. Wenceslaus directa linea procedebat, recte nominauit. Czechum tamen, qui nexum istum cum maioribus eius non habebat, prudentius tacuit, quam ille faceret, qui volens scribere Dobnerum Ludi Pragensis primum, eumque nauum Rectorem esse, ab origine gentis Sueuicae filum narrationis suae ordiretur, eo quod ille e Sueuia parentelam repetat. Satis superque Cristannus locutus est. Czechum, cum sanctos suos initio suae historiae *velut noua sidera* (verba eius damus) lumine virtutum patriam suam Boemiam, vel Boemi id Ceskau zem, et Czechy dixit Cristannus. Quemadmodum vero reliquos duces, qui a Prz̃emislo vsque ad Borz̃iuoium continua successionis serie dominabantur, e ducali solio ideo repellere non licet: quia Cristannus eos de nomine, ceu rem vulgo satis notam, haud recenset; satisque intelligimus, aliquos principes Prz̃emislaum inter et Borziuoium medios fuisse, quod Borz̃iuoium *vnum ex eisdem Principibus* ortum habuisse diceret: ita quoque Czechum ad fabulas amandare vera Crisis non iubet, quod Cristannus Czechos, seu Czechowe et prouinciam Czeskau

zem

zem non tamen, ipſum Czechum, inſiſtens nempe famae publicae, nomen id ab illo repetentis, nominauerit. Ad Coſmam vt progrediar, cauſam non inuenio, cur nomen Boemi a quo patriam noſtram nomen habere dicit Coſmas, per vocem Czech interpretari non liceat; fatentibus praeſertim aduerſariis id aliter exponi non poſſe; infra vero indicia rei plura adferemus. Continuatoribus Coſmae, ſiue Iaroslao, ſiue Vincentio, ſiue Franciſco, ſiue Petro Abbati, aliiſque, qui narrationes ſuas etiam vſque ad ſaeculum XIV. latino ſtylo conceptas deduxerunt, Czechum et Czechiam nomina gentilibus ſuis notiſſima nominare opus haud fuit; illique Coſmam duntaxat in anno 1125. ſcribere deſinentem, vt nomina ipſa continuatorum, ſub quibus in teſtimonium adducuntur, manifeſtant, continuarunt. Cauſa igitur non fuit, quamobrem Czechi nunc iam meminiſſent, qui de origine et gentis, et nominis Czechorum nihil ſcripſerunt, ſed principum duntaxat Pragenſium, qui Coſmae chronicon ſecuti ſunt, res narratione ſua ad poſteros tradendas ſumebant. Quantum autem receptae de Czecho ſententiae tribuerint, inde etiam liquet, quod ex tota antiquitate nullus repertus ſit ſcriptor, qui aduerſus eam aliquid ſcripſerit: nomen potius Czechi Boemi, Czechos Boemorum, Czechiamque ipſam Boemiae nomine fideliter conſignatum poſteritati reliquerint. Suppetunt praeterea aduerſariis argumenta, ſi placet, tria; ex quarto enim, rhythmis germanicis conſcripto, nunquam eis viſo, nos ipſi Czechum, contra quam putant producemus; ſunt illa tam foedis aſperſa vitiis, vt mirandum ſit bonae fidei viris placere potuiſſe. Primum eſt, antiquiſſimum, vt iactat Dobner[54) pictu-

54) Tom. 2. Annal. Hayek, p. 346. MS. picturatum ſub Wladislao rege exaratum . . . . ex quo hic quoque ſimulacrum Nezamisly et patris

picturatum quoddam, ex quo effigies Pragensium ducum in latinis Hayecii annalibus desumptae spectantur, vtque eis ingenuae *effigies* vetustatis pretium conciliaretur, litteris peregrinis, quarum quoddam simulacrum in tabella alphabeti Croatici fatres et ciues Francofurtenses anno 1595. typis exhibuerunt, descripta nomina singulis NB. *gentilibus* principibus sunt assuta. Est vero picturatum istud in charta epistolari saeculi XVII. pictum, fronte, et calce mancum; initium sumit a duce Prz̃emislao, ducum Pragensium Genearcha, et finit in Wladislao Iagellonide, eumque recte affirmat vitam deseruisse 1515. Sicut autem in principio aliquot folia desiderari, ita in fine vlterius processisse, examinanti cuilibet talium vel imperito obscurum esse non potest; character quoque chartae est coaeuus, ordinemque temporis sequitur, et ad testem passim prouocat Weleslawinum, eadem fere tempestate mortuum. [55] Facilius vero clauam Herculi, quam Czechum Weleslawino eripueris, hic tamen non comparet. Abest autem a toto picturato scriptura illa peregrina, nec vestigium eius comparet, vnde artifex picturati sua mutuauerit, vt a quo, seu in qua officina confecta, publicationeque digna visa fuerint, Dobner non indicat, atque hoc

patris eius Prz̃emisly proferimus; non quod germanum sincerumque propugnemus, sed quod maiorum nostrorum vestitum multum elucidet, cum author trium fere saeculorum asseueret, sese haec e vetustissimis (in picturato diligenter excuso nullum huius vestigium) depromsisse, tantoque maiorem fidem mereatur, quod nec Czechi nec Lechi nec Croci passim veteribus nostris incognitorum effigies referat, aut memoriam.

55) Balbinus, in MS. Boemia docta, mortem eius ad A. 1599. locat; Georgius a Carlsperga Poeta Laureatus diem 18. Octobris eiusdem anni funeri eius assignavit, et epitaphio bene longo ornauit, quod in haec desinit verba:

Nestora cum lacrymis dices obiisse Boëmum
Si non hic meritis Nestore maior erat.

hoc eſt illud e Troiae ruderibus erutum monumentum, quo in praeſens credulorum lectorum, res ex cortice iudicantium, ſimplicitati egregie eſt impoſitum. Secundum: illud nempe Boguphali MS. in eiuſdem Chartopolae officina natum eſſe, illud etiam coniectari ſuadet, quod aetas characteris, quo ſcriptum eſſe oportet, tum locus, vbi aſſeruetur, ſtudioſe taceantur; neque in praeſens illud videre licuerit; ſuſpectam autem eſſe mercem, quae ea conditione venum exponitur, ne inſpiciatur, prudens nullus dubitauerit. Ab aliquo autem, cuius intererat, ne Lechus in Boguphalo legeretur, principio ſtatim viciatum fuiſſe, prima, vt aiunt, fronte intelligitur . . . Quorſum enim haec pertinet oratio: *Quamuis hiſtoriographi, qui nunc Poleni a Polo Arctico nominantur* ... Omnesne hiſtoriographi illi nunc Poleni a Polo Arctico nominantur? iactat equidem, ſe eſſe hiſtoriographum Dobner, ſed continuo abnuet ſe Polenum dici: plenius proinde ac verius, hanc orationem diligentiſſimus antiquitatis ſervator *Sommersberg* e vetuſtiſſimo Boguphali codice, hodie ad S. Vincentium Wratislauiae aſſeruato hunc in modum protulit: *Quamuis hiſtoriographi Lechitarum, qui*, (nempe Lechitae) *nunc Poloni a Polo Arctico nominantur:* recte enim omiſſo relatiuo pronomine aio: quamuis hiſtoriographi Lechitarum nunc a Polo Arctico Polonorum nominatorum res deſcripſerint: Lechitas enim Boguphalus a Polo Arctico alio nomine dici Polonos dixerat, non vero hiſtoriographos. Quod vero in nomine Lechitarum cubantis umbra Lechi ſcitum quendam fraudatorem terruerit, textum Boguphali corrumpendum putauit; ſed, quam vano eiuſmodi artes fiant conatu, Mabillonius in opere, quo maxime inclaruit, obſeruauit: *licet enim omnia ſcitus fraudator facturus ſit ad imitationem veri; tamen*, pu-

tat ille, *vix fieri posse, vt non aliqua in parte fraus transpareat.* Nostrum autem fraudatorem minime scitum fuisse oportebat; qui fraudis suae adeo trabale impressit indicium, vt famulae quoque suae grammaticae ope nullo pacto ei obstetricari possit. Tertium denique MS. Maximiliani Schleinitz, quondam meritissimi Litomericensis in Boemia Proto-Episcopi, viri profecto meliore calamo scribi digni: certe ille Schleinitzium ea reuerentia, quae authori, quem sequeris, debetur, non habuit. Producam paucula: *Nolim hic ego* (ait Dobner Prodr. Hayek. p. 51.) *caeteras Schleinitzii opiniones, quae minimum probabilitatis habent, quasque merito Balbinus paradoxa vocat, imo integris capitibus explodit, defendere . . . .* Parte 2. Annal. Hayec. p. 158. *Caeterum de Pržemislao isto more solito nugatur Schleinitzius . . . cuius figmenta fuse ac non sine stomacho refutauit Balbinus.* ibid. p. 506. in not. lit. b. *Hic ille Neklan est, quam Schleinitzius ridicule ait nomen suum a Boemis accepisse.* Monument. T. 1. p. 226. in not. lit. k. *Haec Schleinitzii verba non tanquam certissima lectori oblata cupimus, non nescii, multa in iis erronea, multa etiam Lydii lapidis rigorem minime ferre.* Ibid. denique p. 238. relato quodam nomine Zlenicz hoc notauit: *Hem, vnum de maioribus familiae Schleinitzianae posterius sic appellatae, cuius originem perperam extra Boemiam in Misnia quaesierat Baro de Schleinitz Proto-Episcopus Litomericensis in suo MSto.* Si talibus coloribus pingunt aduersarii Schleinitzium, cur eius testimonio fidem obstringendam esse clament, ignoro; quid enim pronius est coniicere, quam Schleinitzii opinionem de nomine vniuersae gentis falli potuisse, qui de origine cognominis proprii falsam habuit. Nolumus meritae eius fidei quidquam detrahere, miramur potius artem diligentiamque Dobneri, qui tot

centones

centones Czecho infestos, quot in apologia p. 34. comparent, sarcire aut voluit, aut potuit: vidimus et legimus eius MStum, et intelleximus, et quam voluissemus, Czecho fauentiorem reperimus. Negat ille Czechum ducem Boemiae fuisse primum, ac ex Illyrici Dalmatia in Germaniam venisse, sed hanc gloriam Przemislao tribuit, quem e Dalmatia Misnica (Dalemincia) euocatum fuisse asserit; Czechum vero ordine ducem septimum nomenque Boemis Czechorum dedisse contendit; iuuerit haec verbis ipsius Schleinitzii testatiora reddere: Parte I. c. 16. *certum est* (ait Schleinizius) *ducem aliquem Boemorum Pragensium olim extitisse, qui Czechus fuerit vocatus, a quo et Boemi Czechones sunt appellati: verum quod ille idem Czechus omnium primus terrae huius Boemicae cultor, ac nationis auctor fuerit, erroneum est, siquidem supra probatum, Sueuos, Boios et Marcomannos plurimis ante Czechum saeculis hanc terram inhabitasse* . . . et infra: *Vixit ergo Czechus ille dux, a quo Boemi Czechones vocantur, in Boemia circa A. Christi 780. saeculo septimo* (forte octauo) *iam declinante* . . . *vide ea, quae de hac materia supra c. 5. habentur, vbi dicitur Czechum socerum Vitekindi* (adducit ibi in testem Eliam Reusnerum) *ducis Saxonum, qui contra Carolum M. 30. annis bellauit.* Istud autem loco citato ita probat. *Quod Czechum attinet, ponit Hayecius illum circa annum 644. Boemiam ingressum, sed errat. Nam Elias Reusnerus scriptor Misnensis, in descriptione Saxonici sanguinis Witikindeae domus, ponit Witikindum (qui 30. annis contra Carolum M. imperatorem Saxonum ductor ac tandem a. 786. Christianus factus est) duas habuisse vxores, vnam Geuam Siegefridi regis Danorum filiam: alteram vero Swatauam siue Swatam Czechi Boemorum ducis filiam, cum qua pars Misniae titulo dotis ad Saxones venit. Vixit ergo Czechus a.*

Christi 780. *et plus quam vno saeculo tardius in Boemia, quam Hayek ponat. Non legimus autem nisi vnum Czechum ducem in Boemia regnasse.* Haec quidem et plura alia Schleinitzius. An Czechus a Schleinitzio fabulis annumeratus fuisse ex Schleinitzio euinci possit, prudens quisque iudicauerit. Quod autem nemo nesciat complura spuria, manca, ac improbis artibus foedata dari manuscripta, ex libro eiusdem Schleinitzii *Memorabilia Romanorum* inscripto, quem biennio ante obitum suum anno videlicet 1672. typis Pragensibus Georgii Czernoch exsculptum augustae memoriae Leopoldo, Romanorum Boëmiaeque regi, imperatori germanico nuncupauit, hac in re mentem eius cognoscere licebit. hunc vero in modum in Oda quadam opem Dei genitricis pro paci Monasteriensi in fauorem Boemorum concludenda implorat,

Ergo si quidquam meruere de te
Czechidae nostri, tibi dulce et vnquam
Si fuit quicquam vel et his in oris
annue votis.

MS. Schleinicii, e quo mea huc intuli sub fide iurata in archiuo collegiatae ecclesiae, ac capituli Wischeradensis Pragae asseruatur. Consentit illud de verbo ad verbum, cum iis quae a Dobnero in Tom. I. scriptorum ineditor. p. 222. de familia Wartembergica vulgata sunt, et quae absunt ibi apud Dobnerum per punctula . . . quoque desiderari indicantur. Cum illis vero, quae contra Czechum passim ac in Apol. pag. 34. a Dobnero adferuntur, praesertim non conueniunt. Illud iam sine dubio constat. Documenta omnia, quae in manibus sunt aduersariorum Czechi, Lechi, aut Russi osorum vna eorum memoria carere, in caeteris esse plena, *tantoque maiorem* (verba sunt Dobneri ante iam adducta) *fidem mereantur; quod nec Czechi nec Lechi nec Croci passim veteribus nostris incogni-*

incognitorum effigies referant, nec memoriam. Verum piget ire per singula, et talia tamque vitiosa colligentis aduersarii miseret etiam; quo enim parma straminea aduersus ignem vrentem, se defendere perget, haec sonora iactantia.

Sed in viam. Narrant pro chronica Slauorum, Czechum cum sex fratribus aliisque consortibus, commissa spectati cuiuspiam viri caede, e Croatia discessisse. Tria vero narrationi isti insunt, quae eam incredibilem faciunt: Ac primo quidem rident aduersarii fratrum Czechi numerum;[56] at cur numerus iste fidem superare videatur, non indicant. Non dicunt enim chronica vno simul tempore, aut ordine natos, vno aut vna parente effusos, quod quidem si etiam dicerent, narratis Fredegarii scriptoris saeculi VII. fidei probatissimae consentanea proderent, qui Samonem Slauorum Carantanorum regem XXII. filios et XV. filias genuisse testatur. B. Theophanes[57] ac ex eo Anastasius, Bibliothecarius, narrant Cubrato (alii etiam Crobatum scribunt) magnae Bulgariae principi Slauo quinque fuisse filios, quorum vnusquisque sumpta populi parte coloniis inducendis aptas terras quaesitum abiuerint; vbi quidam eorum in Moesiam caesis Romanis custodibus appulisset, *illinc Slauinorum septem generationes*[58] deprehensas meridiem et occidentem versus translocauerit. Constantinus Porphyrogenneta phrasi vernacula nostrae propria memorat, quinque fratres cum duabus sororibus partem Illyrici seu hodiernam Croatiam eiectis veteribus colonis

56) Dobner. in Prodr. p. 180. quis hactenus posteriorum quotquot de Boemia scripsere, Dalemilum fide dignum credidit, vt cum eo sex numero fratres Czecho adscriberet?

57) Ad annum 671.

58) B. Nicephor. in Constantino gentem vocat Sclabinorum.

colonis occupasse, sextum Seruiam insedisse, septimum domi remansisse. [59] Si ratio non apparet, quamobrem Fredegario, reliquisque grauissimis scriptoribus fidem abrogemus; cur septenarius nostrorum pariter Slauorum principum numerus fabellam redolere dicendus sit, non intelligo. Alterum, quod explosione dignum putant, *homicidium* est commissum. At nec istud adeo intricatum est, vt eius vestigia nulla deprehendi possint in probae monetae historia. Si namque etiam dicamus, quod chronica non dicunt, cuiuspiam Romani ducis caedem fuisse perpetratam; praecipui Romanorum duces a Slauis occisi in historia Procopii occurrent. Ac *Chilbudius* quidem in praelio caesus occubuit. *Asbadus* autem viuus a Slauis comprehensus, excisis primo e tergo loris, igni crematus est. [60] Nihil a vero quoque abeunt, qui cognatae gentis principem parricidio isto fuisse sublatum putant; eodem enim teste Procopio, Slauos inter et Antas, gentes caetera consanguineas, bellum ciuile [61] exarsisse certum est: poterat itaque illud hac opportunitate committi, cumque seditio, vti fit, parricidio patrato non sopiretur, sed irritaretur magis, author facinoris diuturniorem discordiam non ferens, aut vindictam deuitare volens, cum familia, suaeque factionis sequacibus, dux quoque et author emigrationis ac necessarii exilii fuerit; praesertim quod apud Slauos nullum crimen homicidio enormius esset [62] ac ex vsu gentium vetustissimo [63] non nisi voluntario exilio expiari posset: hinc recte Procopius *inducias* tandem inter Slauos et Antas *mutuosque commeatus* redditos

59) De Admin. Imp. c. 30.

60) Goth. L. 3. c. 14. et 37.

61) L. c. c. 14.

62) Cosmas L. I.

63) Apuleius Milesius apud Meursium in Exercitat. Critic. P. 2. c. 37.

tos fuiſſe l. c. annotauit, quorum nulla ſpes fuerat, quoad vſque homicida foueretur.

Tertium iam vt a fabula abſoluamus: fateor lubens, viros complures doctos ob voculam illam Croatiae, vt putant *nouam*, in tranſuerſum fuiſſe actos; neque animum inducere potuiſſe, vt crederent, fratres noſtros emigraſſe e Croatia, quae nulla adhuc erat: verum ſi eo rigore, quo Slauica chronica illis aliorumque ſcriptorum hiſtorias expendere placet, neque prolepſi ſcriptoribus veteribus vſitatae locus dandus videtur, vix ac ne vix quidem vnum aliquem veterem ſcriptorem reliquum habebimus, a pari falſitate immunem. Vt enim in hoc meridie lucernam non requiram, vetus ille de conuerſione Carentanorum anonymus, ſcriptor ſane cum primis grauis ac locuples, debita coaeuo hiſtorico fide ſpoliandus erit, quod paſſim Carolo imperatori multa adſcribat, cum nondum imperator eſſet, aut de imperio in Germania fundando cogitaſſet. Quod quidem mirum eſſe non debet, conſideranti, ſcriptores illos veteres, poſteaquam et Carolus imperator mortuus eſt, et nomen Croatiae enatum fuit, chronica ſua ſcripſiſſe. Vtut autem ſit: chronica noſtra vetera, ab hac halucinatione plane ſunt aliena, quae aliud non narrant, quam Czechum Lechumque cum reliquis fratribus ex ea parte Illyrici, cui nomen eo tempore, quo ſcribebatur, Croatiae fuit, emigraſſe; en verba: *In Illyrico eſt prouincia, cui nomen eſt Charuatia.* Quis etiam tuto affirmauerit, nomen Crobatiae ita eſſe nouum, vti recenter illud auditum eſt? Nomen eius ante ſaeculum X. a quopiam ſcriptore, quantum quidem nobis conſtet, non fuiſſe proditum, primumque eius prolatorem eſſe Porphyrogenitum, vltro largimur. Quin autem Slauicus ille populus, a quo Croatia nominatur, aetate Iuſtiniani domeſtica

domestica appellatione aliter, quam sub Heraclio imperatore, fuerit nominatus, merito ambigimus, ipseque Porphyrogenneta illud innuit, dum ex Croatia magna in minorem migratum, ac ab hac veteri et magna nouae ac minori sub Heraclio primum surgenti datum fuisse nomen censet. Quod enim nomen Crobatorum non graecae, sed Slauicae est originis, non perinde a graecis inditum ac proditum fuisse aestimari oportet; licet autem a graecis misere nomen id detortum sit, dum quos Porphyrogenitus *Chrobatos* dicit, eos Cedrenus Sec. XI. in Basilio Bulgaroctono *Coruatas*, ac Nicephorus Caesar Bryennius etiam *Chorabatos* nominauit, ad vnam tamen Slauicae radicis ac pronunciationis imitationem singuli nomen istud retulisse sunt censendi: Hruati namque, quo nomine in praesens gens illa se scribere amat, Slauo idem sonat, quod latinis *montium incola*, ex quo graeci pariter atque quidam Slaui aspirationem elementi *h* tum et duriorem plurium consonantium concursum fugitantes, quod nos Boemi Horouatos, Caesar Bryennius Chorouatos, et quod alii Slaui Hruati, Constantinus dicit Chrobati, quod denique Cedrenus Coruaty, quidam Slaui Chorwati, Charwati, alii Krowati, quod Boemi et Poloni scribunt Krzowati eodem manente significatu verborum, exponunt intelliguntque homines *sub angusto saxo quoque*, (vt habet Procopius [64]) *aut virgulto quolibet obuio delitescere, et hostem quemlibet rapere solitos.* Affirmat vero idem Procopius, Iustiniani tempore Slauos omnibus Illyrici iugis, montibusque peruasis, in Dalmatiam (nempe mediterraneam) videntibus nec resistentibus Romanis ducibus, ac Germano quidem Sardice, in nobili Illyrici vrbe exercitum ordinante, Iohanne autem Salonis in Dalmatia (maritima)

64) Goth. L. 2. Cap. 26.

(maritima) hyemante,[65] intrauisse, *atque illis in locis* (recito Procopium) *praesidia et castella firmissima nemine vindice cepisse:* quod autem seu sponte reddita, siue vi Romanorum Slauis subinde fuerint extorta, tacet Procopius; vnde pronum est coniicere, Slauos istos montium Illyrici Dalmatiaeque mediterraneae incolas, quo nomine a Slauis reliquis distinguerentur, iam tunc quoque appellatos fuisse Horouatos, aut Hruatos. Montana vero Illyrici atque Dalmatiae mediterraneae loca, imperante Iustiniano, a Slauis ea confidentia fuisse occupata, vt in Noricum mediterraneum quoque sedes propagauerint, testatum iam faciam. Ac orientale Illyricum quidem ipse Tiberius imperator patriam vocat Slauorum,[66] referente Menandro: Chaganum trans, *nobis cis*, Danubium cum gente sua habitantem, ad Slauos in ordinem redigendos, eo consilio inuitauit Tiberius, vt ab inuadendis Romanis terris eos absterreret, coactosque patriam suam ab Abaribus defendere, a Romanae ditionis rapinis abstinerent. Non potuit autem Chaganus in Slauos istos irruere, prodente eodem scriptore, nisi ponte *super Sauum exstructo, factis a Romano milite ad Thessalonicam* vsque incursionibus, immensum (verba eius damus) numerum qua belli virtute domitum, qua sponte ad se transeuntem et deditum NB. e patria eductum ad Obsicii partes, traiecto Abydi freto translatum. Quis autem nescit, non modo Sauum, sed et Danubium Dalmatiae fuisse limitem?[67] Patria igitur Slauorum iam tunc Dalmatia mediterranea fuit. B. Theophanes (ad a. 775. autem alios) Slauos in Macedonia, Graecia,

65) Goth. L. 3. c. 4. et 40.

66) Menander in excerptis de legationibus p. 86. edit. Venetae p. 128. Parisinae.

67) Porphyrog. de Adm. Imp. C. 30.

Graecia, atque Peloponnefo habitantes, primum tempore Irenes fub tributum miffos, imperioque Romano adiectos fuiffe quoque recenfet. Confectum proinde habemus, Illyricum orientale pro Dalmatia mediterranea acceptum iam tum ceu Slauorum *patriam* ab imperatore fuiffe habitam. Illyricum occidentale eodem prorfus nomine tum a Fredegario faeculo VII. 68) tum Paulo Diacono 69) faeculi VIII. fcriptoribus cohoneftatum eft, ac lingua gentili partem eius a Slauis nominari *Craina*, quod latinis patria vel regio eft. Otto fecundus pariter imperator teftatur. 70) Ionas autem S. Columbani Biographus circa a. 612. *cogitationem* (verba eius funt) *viro fancto in mentem ruiffe, vt Veneticorum, qui et Slaui dicuntur, terminos audiret.* alias fcripfit. Cum vero haec non nifi de prouinciis longo duntaxat temporis tractu ante conftanter tranquilleque poffeffis, ac explorato iure, ab abavis ad abnepotes transmiffis, affirmari poffint, nullus dubio locus fupereft; quin Iuftiniani imperatoris aetate, etiam magna pars Slauórum in Illyrico, (vniuerfae enim genti, quam Procopius *infinitam* appellat, capiendae non fufficiebat) tam orientali quam occidentali, lares patrios fixerit; praefertim quod Iornandes in Geticis c. 50. ferio affirmet, Sarmatis feu Slauis paulo poft mortem Attilae in parte Illyrici ad caftrum Martenam imperatoris Romani beneficio fedes fuiffe affignatas.

Egregium his adfert lucem, vtut obfcurus, Procopii locus. 71) Narrat ille a Longobardis Pannoniae infefforibus

68) Apud Schonleben in Annal. Cam. et Granelli in Topograph. Ger. Auftr. p. 209.

69) De geft. Longob. Libr. 4. c. 39. et 40. L. 6. c. 32.

70) Diploma quo Epifco. Frifingenfi traditur ditio Locopolitana anno 974. Schonleb. et Carelli l. c.

71) Goth. L. 3. c. 35.

ribus ad mortem quaesitum a Gepidibus Longobardorum tunc amicis desertum Ildigem, ad Slauos confugisse, vnde in agrum Venetum suis cum comitibus fuerit profectus, vbi caeso subinde Romano duce Lazaro ac transito Istro ad Slauos se retulerit. Ildigem a Gepidibus Sirmii tunc Dominis ad Slauos pergentem non transisse Istrum, satis intelligitur. Tendebat enim ad Illyricanos, non autem ad trans-(nobis, *cis*) Danubianos Slauos: sed quod ex agro Veneto, cuius terminum a Pannoniae fine vsque ad Abduam producit Paulus Diaconus 72) ad Slauos se recipiens Istrum transiit Ildiges, merito mirum videri posset. Si namque ex agro Veneto proficiscenti Ister seu Danubius erat traiiciendus, qua orbis plaga Slaui illi, ad quos Ildiges diuertit, sedebant? habitasse illos alibi, quam in Illyrico latius accepto, seu parte Norici mediterranei, vbi Celeia - - eorum regio, ac patria fuit, aliquem dicturum vix putem. Istud enim et vicinia agri Venetici, et celer regressus Ildigis, Gepidesque Slauis mixti comites eius affirmare cogunt: neque assertioni isti obesse debet transiti Istri mentio: Procopius enim haec scripsit ex communi veterum opinione 73) qui credidere, altero sese ostio Danubium in mare Adriaticum exonerare: quod nemo nescit, qui veteres geographos 74) et Argonautica Apollonii legerit, quae quidem de Istro seu Danubio veterum

72) De gest. Long. L. 2. c. 14.

73) Sic etiam Strabo L. 5. Aquileiam Emporium esse gentibus Illyricis Istrum accolentibus scribit, et Basilius M. Saec. IV. Valerianum Aquileiensem Episcopum Illyricum, et Illyrici in epistola illi inscripta nominat. Volaterranus L. IV. Geograph. Marcham Taruisinam a Carolo M. Dalmatiam super mare fuisse appellatam tradit: quae neque ciuili neque geographicae prouinciarum distributioni conuenire possunt, vsu vulgi tamen inualescente, ita scripta sunt.

74) Scylax, editio Gronouii p. 13. post Venetos sunt Istri, et fluvius Ister. Mela L. 2. C. 3. per Istros Ister emittitur.

terum persuasio adeo communiter obtinebat, vt homo doctus prudens et indigena [75] ei quoque insistendum esse putauerit, secure pronunciando, *Histriam ab Histro flumine cognominari.* Habuerunt proinde in Illyrico tempore Iustiniani imperatoris patrias sedes Slaui; imo si Porphyrogenitum [76] audimus, paulo etiam citius habuere: narrat ille Epidaurum cum reliquis vrbibus, quae in eo themate sunt, a Slauis fuisse captam, ciues vero quosdam Epidaureos, tum Salonitanos salutari fuga reperta in praeruptum locum sese recepisse, ibique vrbem Rausium aut aut potius Lausium condidisse ... tum addit: *Ex quo autem ciues Salonitani Rausium demigrarunt, anni sunt* (εισιν ετη Φ μεχρι το σημερον) D. in hunc vsque diem Indictione VII. anni 6457. (Christi 949.) Si haec e vero Porphyrogenneta, egregie ille quidem expeditioni tum Hunnicae tum Abaricae, [77] quae ipsi in praesens assuebatur, detrahit

75) Paulus Diac. de gest. Longob. Lib. 2. cap. 14.

76) De Admin. Imp. c. 29.

77) Sunt, qui non tantum Attilae militarem expeditionem vni genti Hunnicae tribuant, sed populos etiam cumplures, qui a scriptoribus subinde Hunni appellantur, ad originem Hunnicam referendos esse existiment. Hunnorum cum corpora tum animos velut in tabella pinxit Amm. Marcell. L. 31. Attilae commilitones in Excerpt. Leg. Prisc. Rhetor. Tantum autem Ammiani et Prisci penicillus dissidet, quantum *bestiarum bipedum, aut stipitum incompte dolatorum* (ita Hunnos Ammianus l. c. vocat) *a virorum moderatorum* (sic Priscus suos delineat) ac fortium pictura differt. Abares gentem plane insolitam atque incognitam adeo, vt ad eam videndam tota Constantinopolis fuerit effusa, Theophanes ad A. Iustiniani 31. memorat: nec causam huius insolentis spectaculi reddit aliam, nisi quod *vestitum Hunnico simillimum, et capillos a tergo admodum longos, eosque taeniis reuinctos atque implexos gestauerint*: penitus nimirum, et domi saepius inspectos habuerunt Romani Hunnos; itaque non illi insolenti spectaculo ansam dedissent, si Abares isti reipsa Hunni fuissent: at Hunnus crinitus ac caesarie promissa monstrum erat incognitum, ac insolens spectaculum totius vrbis. Omnis enim Hunnus imberbis et capite rasus.

Quae

hit empusam; vna autem innuit, Epidaurum Salonamque Slauis a Gothis subinde fuisse ereptas, hisque iterum, iterumque eiectis, Romanos illas recepisse. Siue autem vera, siue falsa haec sint narrata, chronicorum tamen Slavorum narrationem, quae ex Illyrico etiam serius principes fratres arcessit, mirifice tuentur, probantque, veteres Slauos a fingendis fabulis fuisse longe alienissimos, quippe qui nullo non tempore eadem in Boëmia, Polonia atque Russia suis nepotibus dictabant, quae saeculo medio decimo postea primum CPolitanus imperator describebat. Sed neque aliud, si bene expendatur, dicit Procopius: narrat ille Illyricum, et totum quicquid ab Adria vsque ad suburbana Byzantii interiacet, ex quo Iustinianus imperii habenas prehendit, a Slauis et Hunnis ita fuisse desolatum, vt *terras illas omnes, non immerito Scythicas solitudines appellare licuerit.* 78) Vult, vt puto, innuere: totum illum terrarum tractum, sub Iustiniani imperio Romanis fuisse ereptum; disiectisque splendidissimis ecclesiis, Palatiis, aliisque sumptuosis, quae fastus Romani erat maiestas, aedificiis eum in cumulum fuisse redacta, vt pulcherrimae prouinciae foeda metamorphosi in Scythicas solitudines conuersae viderentur. Loquitur nempe ex vsu aliorum scriptorum iterum Procopius; non vocant illi *solitudinem* locum quendam omni plane habitatore orbum,

 vt

Quae causa est, quamobrem Theophylactus Simocatta L. 7. C. 8. non veros Abares, sed Pseudo-Abares, seu ementitos Hunnos dici debere contendat. Menander vero Excerpt. Legit. L. 1. fine, quod veste ex vsu Hunnico, non autem Slauico, fuerint induti *ignotam gentem Sclavinorum* appellet; reipsa enim Slavi erant: Obor namque et in plurali Obori idem nobis est, quod latinis, *tribus*, et Tataris, *Horda* notat. Multa hoc super argumento dicenda essent, si notationum angustiae ferrent.

78) In hist. arcana cap. 18. p. edit. Paris. 54. Veneta p. 316.

vt exiſtimant aduerſarii, ſed nominant ſolitudinem locum, in quo mortales quidem habitent, ſed rarae aut nullae vrbes, earumque exiguus ſplendor, aedificia apparent; hunc in modum Strabo 79) ſolitudines appellat Getarum; *totius*, inquit, *regionis, quae iam dicto inter Iſtrum ac Boryſthenem interuallo ſuperiacet, prima portio eſt ſolitudo Getarum. Dein ſunt Tyragetae; poſt hos Sarmatae Iazyges.* Si ſolitudo Getarum portio quoque prima Getarum, altera Tyragetarum eſt, Getae et Tyragetae ergo ibi habitant. ita alii *deſerta Boiorum, Dardanorum ac Sarmatarum* appellant: quum autem ex induſtria ſitum deſcribant gentium: manifeſtum eſt, nomine ſolitudinis intellexiſſe loca, non incolis vacua, ſed vrbibus minus referta. Erant *campi patentes*, nec tamen tantum campi, ſed habitatio erant Longobardorum, nec alia Illyrici ſolitudo erat Slauorum. Cum itaque aetate Iuſtiniani Illyricum inſederint Slaui, deſerere illud, aut ex eo ſuperueniente maiori poteſtate eiici, atque alias ſedes quaeſitum abire poterant. Dicit ergo Procopius, a tempore Iuſtinianei imperii Slauos Illyricum inhabitaſſe, eiectiſque Romanis ac vrbibus deletis Illyricum ipſum in Scythicas ſolitudines, eas videlicet, quas in Scythia ſparſim 80) habitantes Slaui facere in more habuerant, tranſiiſſe; totum enim occidentem iam tunc barbarorum poteſtati paruiſſe ante dixerat Procopius L. 3.

Quanquam autem veritas non teſtibus, ſed teſtes veritati litare ſoleant, quippe quod veraces eſſe prius conſtare debeat, quam teſtimonio eorum fidem obſtringas; tamen, quod veritas per ſe ipſa quibuſdam hominibus placeat minime, niſi teſtium legione armata fidem extorqueat;

quueat;

79) Geograph. L. 7.

80) Procop. Goth. L. 3. c. 14

queat; quolibet excusso veterno vetustissima quaeque monimenta inuestigabimus, sed quod illa primae vetustatis vestigia, ante saeculum XIV. scripta fuisse nulla, confidenter affirment aduersarii, quae in nostrae unico angulo reperimus, afferre non negligemus, tum ne augendae patriae historiae segniores esse videamur, tum, ac inprimis, vt documento simus, quanta in tota, si diligenter perlustretur, Boemia, ne dicam vniuerso Slauorum orbe, inueniendorum Triumuiratui Slauico fidem facientium testium, spes supersit, indicemus. Saeculi decimi fores iam aperio; superiorum enim saeculorum descripta monimenta litteratissima, religio christiana Romanis suis characteribus ita forte deleuit, vt penna Aquilae caeteras auium plumas consumit. Simeon, magister, et Logotheta [81] saeculi X. scriptor probus ac cum primis illustris, *Ρως δε οι και Δρομειται Φερωνυμοι απο Ρως τινος σφοδρου διαδραμοντες απηχηματα, των χρησαμενων δια υποθηκης, η θεοκλυτιας τινος και υπερεχοντων αυτου, επικεκτωται. Δρομιται δε απο του οξεως τρεχειν αυτοις προσεγενετο εκ γενους δε των Φραγγων καθισανται.* *Rossi*, inquit, *qui et congruo nomine rei Dromitae nuncupantur, a Ros quodam viro forti, cum siue monitu ac consilio, siue diuino quodam afflatu, ac oraculo pro potestate illis vtentium eisque superiorum iniurias noxamque euasissent, dicti sunt. Dromitae vero, vt appellarentur, cursus celeritas causam dedit, genus autem ex Francis ducunt.* Vetus Apographum germanicis rhythmis a. 1384. descriptum a Balbino, vt eius Chirographum codicis membranae affixum [82] memoriam facit S. M. E. Chartophylacio

81) C. 13. p. 348. inter Byzant.

82) Illustrissime . . Mitto historiam germanicis antiquissimis vocibus scriptam, mihi ex Imperio donatam, et transmissam, at quia scio eam spectare ad bibliothecam Illustrissimi (erat tunc Pessina Decanus capituli) eam remitto . . . atque

phylacio redditum, quodque in eodem Archiuio Lit. G. LV. signatum sub fide iurata hodie asseruatur. Id quod Symeon de Russo in Thracia, de Czecho narrat in Germania:

Zu Winden ist ein gegent
Die ist grabacia genent
Do won ein man der his tscheche
Von dem ich hir spreche
Einen mort hat er begangin
Darum er nahe was gefangin
Davon er alczu hand
Dar virlos sein Lant - - - -

et infra:

Wan ir Elteir als ich sprech
Was geheisz in Tschech
Si hiszen durch im czu hand
Tschech mit nomen Bemen Land.

Chronicon Boleslauiense quod saeculi XIV. initio compilatum fuisse putant aduersarii quemadmodum graecus Russum, et germanicus scriptor Czechum, de Czecho et Lecho quoque memorat, narrationemque illam hunc in modum profert;

Wsrbskey yaziku gest zemie
Gyez Charwati gest gmie
Wte zemi biesse Lech
Je muz gmie diegiech Czech
Ten muz oboystwa se doczynie
Pro niez Swu zemu prowinie

infra autem:

— Ale ze gich Starostie Czech diechu
Pronz te zemi Czechy wz diechu

Quod

atque hoc ipsum est vetus manuscriptum, a quo dicunt aduersarii abesse Czechum, Berghaueri nomine etiam signatum; nec libet plura addere.

Quod consultissimi linguae Slauicae ita exponendum censuerunt:

In Illyrico est Provincia
Cuius nomen est Charvatia
In hac terra habitauit Lech
Et vir [83] nominatus Czech
Hic homicidium commisit
Ob quod terram suam amisit
— — — —
Sed quod eorum Starostae [84] Czech esset nomen
Hac causa datum est terrae Czechy agnomen.

Non alia narrat Pulkaua scriptor grauissimus, quippe cui non tantum singula, quae ante Bustuarios Hussitas in Boemia erant supremo Caroli IV. Romanorum Boemiaeque regis iussa archiua patebant, sed etiam complura MS. MS a Carolo comparata, (vt ipse infra cap. 12. Vetus Brandeburgicum ac aliud praeterea nominat) ad manus habebat: dabo haec, vt seruata linguae veteris energia, ac proprietate ex codice optimae notae [85] interpretari ea licuit

83) In adducto Slauico versiculo etiam aduersarii mendum cubare, aut saltem ita obscurum esse, vt intellectum fallere facile possit, fatentur. Hos recte coniecisse, falsosque in sua interpretatione fuisse, ostendit aeque verae eruditionis, atque Slauicae linguae scientissimus *princeps ac Dominus, Dominus meus Alexander Iosephus Iablonouius.* Primus ille docuit Ly lemuz legendum esse I muz, et pro g gmie scribendum fuisse *gmu:* Sapientissimae isti animaduersioni cum et chronici veteris, et idiotismus, et orthographia, legesque omnes grammaticae respondeant, ex hac emendatione versiculum emendatum exponere oportuit.

84) Nomen Starosta apud Slauos praerogatiuam honoris ac officii semper obtinuit, significatque vetustissimum ex familia. Nomen dat. Chro. Bolesla. Apte etiam Ouidius Lib. 5. Fast.

Iura dabat populo senior, finitaque certis
Legibus est aetas, vnde petatur honor.

85) Est codex partim membranaceus, partim chartaceus, ita vt folia membranacea, chartaceis sint aequaliter prope mixta. Character aequalis est Pulkauae aeuo, ac

Boemice

licuit summa fide: *tandem et habitauit quidam homo in Charuatia nomine Czech, qui propter homicidium in quendam Magnatem perpetratum, ex his regionibus Charuaticae terrae paulatim cedens, et cum fratribus, et cum consortibus suis, profectus est, vt quaereret patriam nouam, in qua secure habitare posset, ac sic de loco in locum progrediendo vsque ad Danubium venit. Abinde vero migrauit in hanc patriam, quae nunc Czechy, et germanica lingua dicitur Behem . . . Et sic a primo habitatore Czho vocata est Czechy . . . Frater autem vel consors Czechi nomine Lech, qui cum eo aduenit, transiuit montes niuium* (Przyes snyezne hory Schneeberg) *qui Boemiam separant a Polonia* (Silesia) *et conspexerat latam et longam vsque ad mare planiciem, hic se locauit, et genere suo impleuit eam . . .*

A Pulkaua separari non debet, qui eum praecessit Franciscus Canonicus Pragensis [86] simul ac ea omnia documenta,

Boemice scriptus, accentuatum z nondum comparet, sed pro eo vbi tunc ponendum erat, geminatum zz positum legitur. Finitur his verbis: Skonala se gest tato Kronika ten prwny czwrtek, postieczie sie k swa temu Mykulassyna Hassensteynye leta od narozenie syna Boziecho Tissicz trzy Sta Dwudczatecho Ssesteo. Id est: finita sunt haec chronica prima die Iouis ieiunii ante S. Nicolai Hassensteyna anno a nauitate filii Dei 1326. Dies Iouis praecedens festum S. Nicolai fuit 1. Decembris primae Dominicae aduentus in diem 27. Nouembris eo anno occurrentis, in quo more saeculi ieiunium seruabatur.

86) Dobner, in Apolog. p. 300. Negat canonicum Pragensem esse authorem codicis, in quo duobus Hussitarum ductoribus, subinde in bello caesis bene precari legatur, et Sigismundum imperatorem *igne infernali cruciatum* obiisse scriptor narrat; cum tamen principia religionis christianae, quo inimicis bene velle consuescant, cum lacte fere infantes imbibant, et quid sit ignis infernalis, qui absumit viventes, pueri medicorum non ignorent. Sed refert author, Lechum, Czechum et Crocum; est ergo ex aeuo posteriore, est *taboritica et Hussitica lue infectus!* tam miseris ac poenitendo sane labore coactis coniecturis veritas monumentorum veterum vellicatur; quasi hodie enatis systematibus sternendis

cumenta, quae in Lucifero nostro adduximus, quorum authoritatis integritatisque tuendae aduersus inanes coniecturas alibi locus se offeret, et ab his pagellis sine iactura intentae veritatis abesse quoque possunt.

Habemus testes, in Graeca, Germanica, et Slauica lingua, Triumuiratui Slauico testimonium perhibentes: testantur illi, res publicas Slauorum a principibus suis nomina accepisse sua: graecosne hos cum germanis aut Slauos cum vtrisque in vnum falsum conspirasse putabimus? sed suspicionis eiusmodi genuina causa, ne cum *interitu quidem huius vniuersi* (phrasis est aduersariorum) olim adferetur. Dicit vero Simeon, Russum virum fortem, qui populares suos ab iniuria, et noxa superiorum liberauerit. Nostri id plenius exponunt, scribentes, id homicidio quoque perpetrato Czechum effecisse, eaque de causa cum fratribus, eiusdem fortitudinis consortibus, exilium voluntarium suscepisse. Dicit Russos ex Francis genus ducere: id nempe quod Constantinus de Belo, vel Velo Crobatis dixerat: e terra Francorum, non Graecorum, dominium respiciente emigrasse. Nec aliud nostra narrant chronica, dum principes nostros cum sequacibus populis ex Illyrico latissime patente, cuius partem nonnullam sub nomine Italiae dominatui suo aeuo Iustiniani adiecisse Francos affirmat, Procopius. 87)

Quid enim quaeso Belo aut Velo Chrobatae Porphyrogennetae sunt, si alborum magnorumque montium non sunt incolae? Montes magni ac albi alii haud sunt, quam montana Dalmatiae mediterraneae Noricique pariter mediterranei, seu Illyrici Italiaeue latius acceptae: magnos

 quidem

nendis cuiuscunque temporis aries non sufficiat, aut desertoribus antiquitatis, antiquitas suffragari possit.

87) Goth. L. 4. c. 24.

quidem illos montes, qui ad Illyricos orientales, Thracesque sese extendunt, vocat Procopius [88] *altum exstantes Caucasi radices.* Montes vero albos alios esse non putem, quam Illyrici orientalis, quos veteres Iapodes, Carnique incolebant, Alpes inde dictas, quod candore niuium fere perpetuo albicarent. *Sabini enim* (inquit Festus Pompeius) *Alpum dixere, quod postea latini album, vnde Alpium nomen.* Vtraque Slaui iam tum sub Iustiniano Dalmatiae, Noricique mediterranei, siue Illyrici magni, quae sunt hodiernae Seruiae, Bosniae, Styriae, Carinthiae, Carniolaeque montana insidebant, quos deinde graeci scriptores Belo ac Velo Chrobatas a magnitudine et albedine montium appellarunt, vt *minoris Rubeae*, seu maritimae Croatiae posterioris enatae, incolis secernerent, ex Francis genus ducere, seu a terris qualis Carinthia tunc latius pro Carniolia, et parte Styriae sumpta fuit Francorum dominationi obnoxiis originem habere dixerunt, ne Slavos CPolitano imperio obsequentes, cum istis confunderent. His namque Belo, aut Velo Chrobaticis a Constantino Porphyrogenneta assignatus conueniet locorum situs, ibi ab occidente Franciae, quae NB. (verba sunt Constantini [90] *quae inter Chrobatiam et Venetiam media est*) dominatui parebunt; ibi frequentibus eorundem Francorum, tum Turcarum, seu Hungarorum atque Pacinacitarum, qua parte hodierna Bosniae montana insidebant, incursionibus infestari poterunt. Hic multam terram, (septendecim nempe, vt Sextus Rufus in Breuiario rer. Romanar. annotauit, prouincias) non vero in Bohemia possidere eis licebit. Abinde 30. dierum ex computo Francisci Glaunichii in Praelim. ad Vitas Sanctor. itinere

88) Goth. L. 4.

89) Anonymus de Bosniae regno typ. Lugd. Bat. p. 10.

90) De Adm. Imp. c. 31.

nere a mari, quod nigrum appellatur, distabunt. Ibi Seruiorum, qui in loco NB. ab eis, non ab aliis Boïki (vt Porphyrogenneta c. 32. memorat) in praesens vicinis Lechitis Beszkidi Slauis aliis Bioszciadi, aliis Bioski, et Bieszi nuncupato sedebant, ac ad fluuium Βισχιες seu Vistulam (eodem teste c. 33.) extendebantur, ante habitabant, fines attingent. Ibi demum per Carantanae abruptas angustias in *Bagouariam* [91] seu Porphyrogennetae Bagibariam intrare: missisque futilibus coniecturis, et montis in Boemia primum proditi *specula Czechi* dicti, et principis fluuiorum Albis, et matris vrbium nostrarum Pragae, vera nomina ediscere licebit: [92] quod quidem, quum nec Boemia, Sorabia, Morauia aut Carpathus nos docere hunc in diem potuerit, Belo aut Velo Chrobatiam a Carnunto tunc latissime patente prouincia separare haud placet; praesertim quod disceptationis, quae de veteri Chrobatiae istius situ hodie feruet, potissimum argumentum leuissima sit coniectura, ex affinitate vocis, quae Bagibareas inter, et Bagiboreas exauditur, enata; perfacile dissidium illud componi poterit, si quis aduertat, ex communi vsu saepius nomina corrumpi, et particulam *vltra* esse aequivocam, ac eodem litterarum ordine significare *trans* et *praeter*: istud itaque, quod Porphyrogenneta dicit Velo, aut Belo Crobatos primitus habitasse, vltra Bagibaream, interpretandum erat sedisse *praeter Bagibariam* [93] seu veterem Bauariam; neque hic attendendum

 est,

91) Bertoldus Constantiensis ad A. 1077.

92) Io. Georg. Magr in Gramm. Carniol. p. 23. Hrib mons Berg. p. 27. *Prag* limen Thürschwelle. Labaw Carnioliae Metropoli fluuius Labak nomen dedit, nobis dicitur Labe, latinis Albis.

93) Qui Bauariae et Boemiae a veteribus Boiis appellationem arcessunt, desiderant in graeco scriptore, graecae orthographiae peritiam,

est, quid Porphyrogenneta, aut eius interpres peccauerit grammaticus, sed quid situm enarrans gentis, scribere debuerit geographus. Accedit nullam ad Carpathum, seu, vt volunt, *Babigoriam* a scriptoribus cuiuscunque aeui memorari prouinciam, quae aliqualem cum Chrobatia nominis haberet analogiam; et Carpathum ipsum vetere Slauorum pronunciatione dici *Gremnic*, 94) quasi dicas locum inuium, inhabitabilemque, constat: quum ex aduerso exploratum sit, veteri Boiariae adfinem fuisse Slauorum habitatam regionem 95) quam incolae gentili voce *Craina*, seu patriam suam vocauerint, hodieque perdurans Carniolia Carinthiaque non perinde a magnitudine montium, ac veteri sua amplitudine remittens, id plene testatur; quam vetus scriptor 96) *Ducatum Chorwiti*, nos vero hodie per

ritiam, voluntque rectius Βαιβαρεια quam Βαγιβαρεια scribendum fuisse. Sedqui intelligunt Velleii Paterculi *incinctos Hercyniae campos* montibus nostris minus conuenire, et Taciti *Boiemum* doctis viris legi *Boieremum*, nihilque esse aliud, quam Plinii *deserta* Boiorum, quae in Boemiam reponere, vniuersam geographiam esset confundere: nodum hunc in scirpo non quaerunt. Scitum enim ex Strabonis Geograph. L. 5. est: *gentem Boiorum funditus exstinctam esse; agrum vero, qui ad Illyricum pertinet, pascendis ouibus idoneum vicinis reliquisse.* Suabos non, quos Paulus c. 15. Alemannos, sed vt eos Procopius nominat, olim ea vicinia, vbi subinde Boiaria erat, sedisse constat; quod autem pugnaces essent; et perpetuo cum eis bellum gererent, vocarunt eos Slaui Bogaros, et pronunciarunt Boiaros. Bauaros autem a *Bauara*, quod in actis SS. T. 2. charty linteum subiugulare, quo ligatur struma, significat, quam ex aqua eius prouinciae contraxerant, alii forte dixerunt. Displicet certe Baiobarorum apud Vohburg. pag. 291. a *Boemiae Bauris* enata nominatio.

94) Mayr. in Grammat. Carniol. p. 130. Grem, *eo*, *vado* gehe, nic est negatio absoluta.

95) Paulus Diacon. gest. Longob. L. 5. c. 22. fugit (Warnefridus) ad Slauorum gentem in Carnuntum, quod corrupte vocitant Carantanum et L. 6. c. 52. Ratchis. . . in Carniolam Slauorum patriam cum suis ingressus.

96) A. D. M. CCCXCVI. Ioannes

per metathesin Choritane, vel Choritanske Charuati 97) appellamus, recte proinde aeque Simeon Russum, atque Porphyrogennetae hodiernae Croatiae maiores Velo seu Belo Chrobatos, qui Illyricum vtrumque, atque Noricum vna cum Salisburgensibus montanis 98) occupauerant, finesque ad vsque Tyrolim 99) propagauerant, repetunt atque per omnia, et veritati et nostris chronicis, debite expensis, referunt consentanea. Quod autem neque Logotheta, neque chronica nostra emigrationem illam, cum illis singulis, qui eiusmodi rebus accidere solent, causis, coloribusque, et nominum manifestatione depingant: ea tacentibus illis edisserere non possumus; nihil tamen perinde historiae Lechi, Czechiue derogatum est, quod Lechum quidem cum Iulio Caesare bellum gerentem, Czechum vero seu *Probo* seu *Aureolo* Romanis ducibus manus caedemque inferentem, aliqui in scenam producant; narratis namque istis vnum ingenium, vigoremque animi maiorum nostrorum commendare volebant, cum bella aduer-

nes rex Boemiae propter praedictum principatum (Tyrolensem) ac propter *Ducatum Choruiti* . . . MS. is codex chronica principum Poloniae inscriptus asseruatur in selectissima bibliotheca Illustrissimi Domini (tit.) Procopii Czernin e nobilissimo sanguine comitum de Chudenitz.

97) Thom. Reschelius in Dict. Carni Korytane, neb Charwati, et verbo Alpes Korytanske hory NB. quod hodie cum K olim cum Ch aut G. scribebatur, vt Churim vel Gurim Kurim.

98) Chronograph. Reicherspergi. ap. Hansizium. Germ. Sacr. T. 2. .. p. 263. ea lis (inquit) ita fuerat decisa, vt ecclesia Bambergensis possideat dictas decimas: in quarum compensationem ecclesia Salzburgensis data houba vna in Enital, et piscatio quaedam in villa *Chrowat*.

99) Diploma Tassilonis ducis, quo Ariboni episcopo Frisingensi donatur locus India (hodie Innichen in comitatu Tyrolensi, ait l. c. p. 93. Hansizius) vsque ad terminos Sclauorum, id est riuulum montis Anarasi, propter incredulam generationem Slauorum ad tramitem veritatis deducendam. Actum in Bazano Thazilone redeunte de Italia anno ducatus eius XXII.

aduersus Romanos Caesares fortiter gesta, et plures belli duces caesos a Slauis fuisse constet.

Ad saeculum quoque decimum pertinet, si quis vnquam fuit, scriptor Dalemil ipse; hunc enim, ex scriptoribus emunctioris nasi, [100] constat tempore Boleslai saeui circa a. 950. rei metallicae fuisse praefectum; de altero illo, an albus, an ater fuerit, omnia muta sunt. Huc etiam reponenda est a Cristanno vita S. Wenceslai, et Ludmillae, gentili sermone, vt alias diximus, descripta, atque passionali veteri a. 1495. Pragensibus typis impresso, quod Dobner etiam laudat, inserta, quod autem ibi constanter legitur: *Zatiech czasouw Czeska zemie gesstie w wirze bludiez.* Interpretes Cristanni alii; at vero *Slaui Boemiae*, vt est apud Balbinum, alii: *at vero homines Boemi*, prout MS. Metropolitanum, alii aliter exposuerunt, ibi etiam vocula Czechowe toties legitur, quoties exemplaria latina Boemos, aut Slauos Boemiae, hominesque Boemos nominant. Quod autem exemplaria latina in exponendo patriae nomine varias lectiones patiuntur: argumentum est, fuisse aliquando, qui dubitarent, an Czechorum patrium nomen sic, vel sic rectius interpretandum esset. Non erat igitur tunc ignotus Czech, quia non erat ignotum nomen Czechorum. Ignotum autem patriae in patria esse non poterat, quod nomen saeculo sequente seu XI. in graecia etiam notum proditum est a Cinnamo. MS. in membrana vetere descriptum, atque in collegio S. I. Vetero Pragae asseruatum, illustre saeculi XI. sidus S. Procopium vocat *natione Boemicum*. Passionale

100) Balb. in Epit. L. 2. c. 5. Dalemilus Lipnicensibus fodinis praefectus a. 952. vt Clipta vetustissimus Boemiae scriptor, atque ex eo Haiecius tradit. Theobaldus iunior de Topogr. Boem. S. VI. de Vrb. metallicis.

nale vero iam laudatum, id dicit Czech vrozeny nobilis Boemus.

Quid Cosmas saeculi XII. scriptor per suum Boemum designare voluerit, imperatorum regumque nostrum Salomon in vita sua testatum reliquit. Idioma (inquit pater patriae) quoque Boemicum ex toto obliuioni (educatus erat in Gallia) tradidimus, quod post redidicimus (in Frehero redidicimus) ita vt loqueremur, et intelligeremus, vt alter Boemus. Nec id celauit Vincentius Canonicus Pragensis eiusdem saeculi scriptor, quem Dobner notis illustrauit, multumque laudatum vulgauit: Item MCLXXV. (ait ille) [101] *cum mortuus est Wladislaus rex* (die: nota est Dobneri) Priscae Virginis numero ferme XXXV. Si Wladislaus numero ducum Boemiae fuit XXXV. per Boemum igitur Cosmae Vincentius Czechum intellexit: nunquam enim ad numerum istum ducum (quem tanquam certum nulla animaduersione sua critica notauit editor) reiecto ad fabulas Czecho, Wladislaus pertrahetur, Berghauerus [102] Antesignanus Dobneri producit literas publicas *a se in originali* (verba eius sunt) *membrana lectas*, quarum clausula haec est: *Anno ab incarnatione Domini M. C. XXV. sunt haec acta sub Lothario rege Teutonicorum eiusdem nominis tertio: sub christianissimo duce Sobieslao filio regis Wratislai nono decimo monarcha Boemorum, ex quo christianitas* (sumpsit, vel quid simile; deest enim verbum) *exordium* . . . . Sobieslaus igitur inter christianos principes a Borz'iwogo computando XIX.

101) Dobner. T. I. Monum. p. 84.

102) In Vit. S. Ioh. Nep. T. I. p. 215.

XIX. a Prz̃emislao XXVII. tantum dux erat, Wladislaus autem eius succeſſor a Borziuoio XX. a Prz̃emislao niſi XXVIII. numero ducum eſſe poterat. Aut igitur vera dicit Vincentius, aut falſa. Erraſſe Vincentium vetant laudes, quibus in praeloquio mactatur, et illuſtres notae Dobneri; veriora igitur de Czecho ipſe Vincentius, quam Dobnerus putarat, ſciuit. Si enim numero XXVIII. Czech cum filio Kleno, duo Croci, et Libuſſa, tum ex auctorato Borz̃iuoio ſtroimir, et quae ſe pro Domina geſſit defuncto Wratislao Drahomira addantur, non tantum recte intelligetur, Wladislaum numero ducum ferme XXXV. obiiſſe ac Polonos tanquam fratres eius propter communem vtrique genti a Czecho et Lecho repetenti nimirum nominis originem ad A. 1158. appellauerit.

Ad ſaeculum XIII. ſpectat continuator Coſmae alter, nec aliquis de eo dubitat. Qui totam Bohemiam ab homine Bohemo ait eſſe vocatam [103] Kadlubko [104] et Boguphalus Lechum et Lechitas aperte loquuntur, vt vetuſtiores Lechi ſcriptores, Ianik hoc eſt Ioannem e nobili Griſſorum, et Matthaeum Choleuiorum gente natos, illum Archi-Epiſcopum Gneſnenſem, hunc Epiſcopum Cracouienſem, quos ſecutus eſt ipſe Kadlubko, non memorem; nec tamen hi primi ſunt; vetuſtiores illis procul dubio exiſtimantur, quorum ſcripta ſuperiore ſaeculo vidit Starouolſcius [105] et vt in Lecho Celſ. Iablonouii Gallus, anonymus nempe Andreas Strepa, et Ioannes Brigerius; quos tamen adhuc incogniti pulueres premunt; quos amabo

103) Edit. Vilanenſis p. 173.

104) Epiſt. 12. Polonos vocat regnicolas Lechitarum, et id. Dobromil. p. 65.

105) In Hecatontide pag. 47.

amabo putabimus ab incuria temporum fuisse deuoratos? mihi certum est, codices, qui compilatori historiae Boleslauiensis ad manus fuere, si vnum forte Opatouicense chronicon eximamus, hodie desiderari omnes; desiderantur vniuersa vetera, scriptaque, quae promisit luci publicae committenda Theobaldus iunior [106] absunt complures ab Hayeko adducti, neque comparent amplius vetustissimi Clyptae a Balbino superiori saeculo laudati. Vt taceamus ea, quae saeculo nostro Doct. Vir Ferd. Bresler quatuor tomis edere parabat. Ioh. Casp. Eberti in Schlesiens gelehrten Frauenzimmer p. 22. in notis.

Nequis vero speciosius haec quam verius dici autumet, testem ex aduersariis valentissimum iuuat audire [107] *tot vero* (inquit) *tantosque historiarum thesauros, vt centuriam enumerare perfacile esset, bellum Sueuicum, et subsequum heterodoxorum exilium Boemiae eripuit, quae tempora rei litterariae* (veritati historicae forte) *Bohemorum magis fatalia fuere, quam vel ipsa Hussitica.* Tametsi autem centuriam istam non perinde forte historicus ac enumerauerit arithmeticus, quod tamen aduersariorum confessio, quae eius summa est vtilitas, potentissimum veritatis sit testimonium: ipsique aduersarii opinioni huic ceu maximae exploratae, polypo firmius inhaereant neque contendere cessent, *Lechum Czechumque saeculo* (verbis loquor Dobneri) [108] *decimo quarto primum inuentos, atque e Croatia in Boemiam migrasse perperam proditos fuisse? simulque polliceantur palinodiam se cantaturos* [109] *si*

 vnum

106) In Topograph. Sect. VII.

107) Prodr. Hayek. p. 191.

108) L. c. p. 155.

109) L. c. p. 51. et 141. in Apol. 270.

vnum quodquam saeculo XIV. superius documentum exhibitum fuerit, quod horum fratrum memoriam referant. A calculo ei adiiciendo manum retrahendam esse non putamus. Vltro ergo largimur centurioni nostro centuriam seu thesaurum historiarum a Suecis fuisse exportatam, martemque Suecicum oculatiorem in diripiendis veteribus codicibus, quam nostrum coecum bustuarium analphabetorum coryphaeum Ziskam fuisse, non imus inficias. Illud vero nobis amice dari postulamus; eam, vt minimum dicamus, veterum codicum stragem a primis inter Slauos christianae religionis praeceptoribus factam quoque fuisse, quam adusque hodiernum tempus in Boemia patiuntur heterodoxorum libri, nisi forte dixerimus tanto atrociorem etiam fuisse, quanto heterodoxus gentilem religione superat: vbi vel vnus codex, aut eius vestigium, veteribus illis Slauicis, quarum nonnullum vestigium exstat in iisdem exoticis literis descriptus? quam lente enim sermo latinus apud nos ciuitate donatus sit, norunt docti 110) et testatur vetustissimus Zazauiensis monasterii scriptor qui S. Procopium Abbatem praecipuo praeconio ornare cupiens: Slauonicis litteris a *sanctissimo Quirillo* (sunt eius verba) *episcopo quondam inuentis, et statutis canonice admodum imbutum ac in saeculo presbyterum eximium fuisse affirmat.* Nec vola tamen, nec vestigium, nisi in solo famoso illo Dobneri picturato forte, earum alicubi videtur, et quas Diadocho olim insculpsit Paprocius, hodie erasit Gelasius; formam nempe aeque graecam codices nostri veteres

110) Petr. Codicill. In Commonefact. Dict. Welesl. Tandem res acta est, vt nemo ad gubernacula reipublicae, et ad officia iudiciorum, aut etiam ministerium templi deligeretur, nisi peritia linguae latinae eruditionem suam egregie sit testatus.

veteres praeferebant, vt olim ipsi Slaui vestem Hunnicam, ideoque latium affectantibus ignoti primum manebant, dein ceu inutiles perdebantur; nisi forte adhuc alicubi lateant; sed, quod graece scripti appareant, vt Celsissima Iablonias dicere amat, non leguntur.

Quid vero primi illi in Boemia latine scripti codices aliud sunt, quam verae ac veteris Slauicae eruditionis odium, affectati ac veri Latii ignorantiae testes, simplicisque veritatis exilium? Si Cosmas Slauonicis praeter latinas litteris imbutus videri voluisset, multa Slauicarum personarum, et locorum, quae ille affectata latinitate obscuriora fecit, clara nomina haberemus. Nemo sane prudens Saxones a Saxis, qui Boemis Sazici, (e vestitu fuliginis colorem referente, quo Saxones veteres delectabantur) nominati fuere; aut montem Petrzin seu latronum a latina voce petra, siue demum, vt innumera sileam, inhumanum illum principalis sobolis parricidam a duritie Durigum, aut Boemum a Boio nescio quo, recte posse repeti sibi persuadebit. Boemum aio illum, quis Boium seu Gallum, seu Celtam origine fuisse animum inducat, quem Cosmas vix vno momento natum iam cum Slauis suis sequacibus loquentem, responsumque datum intelligentem nobis depingit? quis etiam non intelligit, Slauos illos veteres, aut hoc, aut simili modo conceptum responsum Boemo isti dedisse: Aku ti ocse to semlija Csiech bodiona Slowena Csiehaska semlija.

Atque id ipsum est, quod Cosmas dicit: *quia tu pater diceris Boemus, dicatur et terra Boemia*, idemque per omnia ante allati codices, tum ille germanicis, cum alter

Boemicis, suis vinculis alligarunt; qui vtut diuersis verbis propositionem Cosmae exposuerunt, vnum tamen ac eundem conceptum, vti dicitur, obiectiuum ac sensum de Czecho sibi fuisse palam ostenderunt; non sane aliter ac si Cosmas dixisset, bis quinque faciunt decem, posterior quidam id ipsum verbis suis enunciare cupiens, scripsisset septem et tria faciunt decem, alius sex et quatuor constituunt decadem . . . aliud Cosmas, aliud isti affirmauisse dici non possent. Ex primis ac limpidis proinde Slauicis fontibus Slauicae historiae veritas, non vero ex riuulis a scaturigine sua admodum remotis, impurique latii luto scatentibus, est haurienda. Non minus vere quam eleganter Procopius: [111] *Initio* (ait ille) a rebus ducta sunt nomina. Sed fama ad longinquos homines ea perferens, verarum causarum ignoratione falsis opinionibus dat originem, ex qua procedens aetas audacter fabulas fabricat: ita initio res et nomen proprium ductorque gentis erat Czechus, e quo procedente aetate Cosmas fecit appellatiuum Boëmus, vt Boemiae suae effingeret etymologiam; sed hodie longissime a principio distans Dobner ex Boemo illo Boium, e veritate fabricauit fabulam; quod Cosmas quidem ad magna Romanorum chronographorum vestigia aduertens scripsit; perinde enim sub ficto Boëmi sui nomine, verum populi Slauici ducem Czechum memoriae commendatum voluit, ac isti sub schemate Itali (notante Ioan. Buno in idea vniuersae hist. Millen. 4. Sect. 3.) Euandrum indicauere. At Dobnerus nulli probi scriptoris exemplo insistens, cum effícto Boio suo, a se ipso discessit; quippe qui et inficietur, Lechis Czechisue a primis gentis ductoribus nomen assumpsisse, et

111) Goth. L. 3.

et nomina appellatiua, ad dandam cuipiam genti appellationem, non esse idonea affirmet, quorum vtrumque paradoxum substitutus ab eo Boius complectitur; nec qualis qualis, sed re ipsa male consarcinata plane est fabula; gratias tamen ei habemus debitas, quod centuriam ac thesaurum historiarum vni duntaxat Boemiae a Suecis ereptam fuisse prodiderit, simulac indicauerit, coaeuorum, aut saltem non procul distantium, id enim thesauri nomine vult, vt puto, innuere inueniendorum monumentorum, quo non tantum veram, sed prorsus certam historiae nostrae, contra quam optare liceat, primam quoque periodum habeamus, non vanam spem adesse. Desinant itaque mei Slaui deplorare voracitatem ignis, quae in veteres eorum potissimum ligneas domos desaeuiit, antiquosque codices iuxta cum aliis pretiosis, saepius absumpsit. Cessent accusare rudissimam simul ac crudelissimam simul ac crudelissimam Tatarorum barbariem, quae a saeculi XIII. initio florentissima sua imperia ad vsque medullam fuit depasta; Dobnero enim omissa deinceps Zichia, ad quam dolendo nimium sumptu in hanc diem nauigabat, ad inuestigandam legendamque illam centuriam thesaurumque historiarum, aut in Sueciam migrandum, aut nomen critici iudicis; id enim *ipso oris habitu flans glorias* [112] mirifice nomen appetit; erit deponendum. In Sueciam dum abiuerit, centuriamque illam iactatam Suecis eripuerit, nullus dubito, quin Slauicum quendam codicem saeculo VII. saltem aut VIII. aut denique IX. descriptum deprehensurus sit, in quo necessaria documenta, siue quae faueant, seu repugnent, Lecho, Czecho, et Russo legere poterit. Ac demum centuriam hanc

112) Procop. in Arcan. Hist.

hanc suam, iterum, iterumque lectam diligenter excutiet, excussam mature prius ponderabit, quam ad definitiuam, vt curiae loquuntur, sententiam, ceu decretorium iudicium in Triumuiratum Slauicum ferendum, linguam calamumque moueat: nisi si velit talis esse criticus, qualis confector Kalendarii vulgo habetur mathematicus. Hoc interim nos spatio, vtut cuiusque modi magistros refugimus, eius stare iudicio non refugimus; verum quoniam Dobnerum exscribimus [113]) *primi gentis Boiemae* (sic ille vocat) *Poloniaeque* (inter latinos) *scriptores Cosmas, et Kadlubecius Croci* (liceat bona venia dicere Lechi aut Czechi; par eorum enim est conditio) *meminerunt, is omnino ex historia vtriusque gentis deturbandus* (an detuberandus?) *minime est locus ei is concedendus, quem vterque illi proprium voluit, scilicet, vt inter traditiones sedem habeat. Nam si vterque author hic consulatur, liquet aperte, quod Crocum* (sinamus et Lechum et Czechum) *non aliqua scripta* (latino sermone) *historia, sed sola traditio pepererit, atque cum Slaui etiam aliarum gentium ritu, vt suo loco ostendemus ante inuectas litteras* (sed quales, an latinas duntaxat?) *sua carmina hymnosque habuerint, quibus clarorum virorum apud se memoriam tum conseruarent, tum ad posteritatem transscriberent, nolim impugnare eiusmodi aliquo carminum genere traditionem* (illam theologicam an historicam?) *ad tempora Cosmae* (cui bono quaeso Cyrillici Slavis erant characteres, aut cur gentilium duntaxat ducum iisdem exoticis, christianorum autem principum nomina latinis expressit Dobnerus?) *et Kadlubecii usque pertigisse; at quot carmina illa notis chronologicis* (sed vnde id scitur?) *caruerint, et fortassis temporum cursu saepe ab alio atque alio*

113) Tom. 2. Annal. Hayek. p. 59.

alio cuſa et recuſa (hem! Traditionem ab alio atque alio cuſam atque recuſam! clamitaret Dobnerus:) *nomen certum rem ipſam, tempuſque incertum reliquerunt.*

Cum ſimus homines audituque duntaxat accepta, non ipſis oculis vſurpata poſt longa adeo tempora habeamus eiuſmodi hiſtoriae monumenta, vt in omnibus ſartam tectamque veritatem ſeruemus neceſſe eſt, ſic vel ſic aliis, aliiſque tradita (alios ſcilicet, alioſque memores) conſcribere, quae plane ambiguitas aut error, huic, quod tractamus, nihil officit argumento: imo inde futurum, vt veritas certioribus nobis momentis nitatur, quam his, qui ſemper digladiantur, ſicne vel ſic ſeſe res habuerit. Foret quidem id optimum, vt et nos homines nuda veritate nulloque inuolucro perſpecta haberemus; quia vero longum effluxit tempus, ceu quoddam interiectum velum, debiliorem noſtram cognitionem facit: operae pretium ſit, vt famae obſequentes, ac coniecturae, vel tenui ſaltem radio res in lucem producamus, et non penitus obliuionis vortice mergendas tradamus. Continuator Porphyrogeniti L. 2. c. 9.

Retrahimus ab vlcere vnguem! non ignoramus, quid falſum inter et incertum, verumque inter ac certum ſit diſcrimen, qui ſcimus, quid diſtet naſus ab ore. Reſpondimus iactantiae aduerſariorum, Lazos, Zichoſque, vagientes, ad cunas aegyptiacas repoſuimus. Triumuiratum Slauicum traditione hiſtorica monumentiſque ſaeculo XIV. ſuperioribus firmauimus, chronica denique Slavorum ex Illyrico maiores Polonorum Boemorumque paulo ſerius aut Iuſtiniano imperante etiam repetentia, cum vetuſtis et coaeuis quoque ſcriptoribus recte conue-

nire ostendimus. Quod reliquum est Rosacius noster[114] coronet:

Vos his vos adeo iam nunc insistite curis
Quos vigor et vegeto florens in corpore sanguis,
Exhibet ingenuis habiles conatibus, o! vos
Seu pueri impuberes, seu quos lanugine prima
Signat adhuc, aliisque regendis subiicit Hebe
Praeclarum Lechi, Czechique genus - - - -
Este o! Czechiadae, est Viri Slaui, este Lechitae.

114) In Protreptico ad Scholast.

DE

DE
SLAVIS ET LECHO

CONSTANTIA ET LABORE

per Magnificum Io. Theophilum Segerum, I. V. D. Profeſſ. Inſtitut. publicum, Curiae ſupremae prouincial. et Iuridicae Facultatis Lipſienſis Aſſeſſorem.

DE
SLAVIS ET LECHO

Restitutus tandem in pristinum locum Lechus, vnde aduersariorum inuidia et criticorum maleuolorum iniquitas eum, nisi interdicto occursum esset, deiecturi fuissent. Sed acris virorum doctorum contentio contrariae disputationis vanitatem nudauit atque extra dubitationis aleam posuit, veterum de Lecho et Czecho traditionem non tantum non repugnare certis historiis, sed cum iis etiam sic conuenire, vt extitisse Lechum, quam non extitisse, longe vero similius, quin exploratis omnibus, fideque historicorum recte aestimata, dux iste omnino credendus sit Polonorum, qui ab ipso nomen acceperint, primus condidisse imperium. Iam igitur vltra progrediendum est, audendumque, si perfici possit, aliquid praeclarius, num forte, diligenti collatione externorum ac domesticorum auctorum habita, possimus certam constituere epocham aduenientis in Poloniam Lechi, quo et Slauos illum duxisse argumentis ad historicam fidem sufficientibus amplius confirmetur, et Lechitarum origo tantique olim imperii tenuia, vt sunt rerum magnarum, initia, notatis, quantum licet, temporibus mage perspiciantur. Vbi tamen hoc mihi dari ab aequis lectoribus postulo, vt in tanta scriptorum penuria et caliginosa vetusta-

tusta-

tuſtarum rerum obſcuritate probabili coniecturae aliquem locum relinquant, nec certa vndique atque indubitata requirant, ſed, quid in dubiis rebus veroſimillimum videatur, decernant.

§. I.

Qui hodie Bohemiam ac Poloniam incolunt, Venedos Slauos eſſe, et antiquitus Sarmatarum partem feciſſe, nemo dubitat. Sed priſcas eorum ſedes, et qua primum in regione lares poſuerint, vnde aduenerint, etſi indagare plurimi ſtuduerunt; vix tamen ad maiorem certitudinem res deducta eſt, quam loci, in quo protoplaſtae vitam omni ſcelere puram initio rerum humanarum geſſerint, aut montis, in quo nauis Noachi recedentibus aquis conſtiterit, demonſtratio. Non noſtrum eſt in praeſenti diſquirere, primum ex Europa in Aſiam, an ex Aſia in Europam tranſierint nationes tam multae, quarum nomina, linguas et mores vtriuſque huius terrarum partis hiſtoriae referunt. Id vnum pro certo tenemus et explorato, ab exordio rerum priſcos mortales, veluti de Slauis nominatim accepimus, plauſtra fere pro domibus habuiſſe, et ante, quam terra inuita Europae et Aſiae ſciſſiones pateretur, huc et illuc vagos erraſſe, eoque, vt et Gallos et Teutones tum in hac, cum in illa plaga reperires, vt Sarmatae inprimis et Venedi vtramque oram late inhabitarent, effectum eſſe. Fuit autem Sarmatica natio, ex qua Venedicus populus, tum in Moeotide, tum in oppoſitis Aſiae regionibus, ab antiquo tempore celeberrima. Ipſa fluminum et regionum vocabula vtriuſque memoriam propagatura fuiſſent, etiamſi auctorum teſtimoniis careremus. In omni tractu Cappadocum non niſi tres gentes graecas vere dici, caeteras barbarorum eſſe, Plinio prodiderunt VI, 2. Quis dubitet, in his Venedos fuiſſe et

Slauos, qui flumina audiat Sarum et Lycum, a quorum vtroque nomine Rufficus et Polonus populus principum fuorum nomina deriuauere, quique veteres, auctore Plinio, Sarmatas Medorum fobolem credidiffe reminifcatur? Qui frequentiffimam mutationem litterarum G. et W. a Wachtero Gloffar. Prolegom. Sect. III. §. 3. atque aliis praeclaris auctoribus didicere, quibus Germanorum warten a Gallis garder, γανος Graecorum, efferri a Germanis wonne, γενος, gena, wang, γουν, quoniam, wann, want, γυρ8ν, wirren, Gothini, Wothinique Deo Teutonum iam dicata vocabula, et multa talia a Reizio in Belga graeciffante obferuata non incognita funt, an his quidem amnis in ora Bithyniae Gendus, cuius Plinius l. 32. mentionem fecit, nihil nominis aut dediffe Vendis, aut ab iis tuliffe videri poffit, in medio linquimus. Sintorum inter Moeotas et Cercetas, qui et extra paludem pertingant, Sinticique portus iam meminit Scylax Cariandenfis Peripli fcriptor eximius, Polybioque non multum aetate fuppar. Plinius in eo tractu Toretas Sindicam ciuitatem collocat, totamque Sendicam regionem lib. IV. cap. 12. defcribit. Vbi promifcua vfurpatio vocum i. et e. nec non d. et t, nifi fallor, in hac gente defignanda perfpicitur; et, dum frequentem mutationem afpirationis cum litteris S. v. g. in εξ fex, υπερ fuper, αζειν federe, fitzen, αλς fal, ac quo inprimis vti debere mihi videor, in fint, find, quod Otfrido de magis lib. II, 21. eft via, et pro quo Britones iuxta Boxhornium in Lex. ant. Brit. hynt pronunciauere, meminimus, facile hanc Sendicam regionem ab antiquiffimis *Henetis*, fiue, vt latino ore efferebantur, mutatione litterarum H. S. V. et W. in wahn, wehnen, fenfus, fentire, nifi fallor etiam confpicua, a Venetis habitatam appellatamque exiftimemus. (Plura vtriufque mutationis

ex-

exempla habet Bernegger. ad Taciti Germ. Quaest. XI.) Nam, vt iterum Wachteri auctoritate vtamur L. I. Sect. II. §. 29. in plerisque S. inutile assumendum est et ex mera sibilandi libidine vocibus adiectum, quae cum vnica sui organi littera sit, cessantibus cognatis apud omnes gentes mutatur in non cognatas: altero autem signo γ. quamuis maxime necessario, soli inter veteres latini, iudice eodem Wachtero vtuntur: tametsi in Germanicae quoque originis verbis, v. g. in od, god, bonum, Othinus, Wothinus, G. et W. pro dialectorum varietate non nunquam ab antiquo abundasse videatur. Henetos in Paphlagonia consedisse, communis veterum vox est, sed ab his in Italia ortos cognomines eorum Venetos Plinio teste l. l. credi postulauit grauissimus auctor Nepos Cornelius. Serbos quoque a Cimerio accolentes Plinius nominatim commemorat, nec seiungit ab iis vniuersum Medorum sobolem, Sarmatas. Vnde si quis Sorabos vel Seruios Venedicum populum indicari autumet, me non habebit dissentientem. Plin. H. N. VI, 7. Forte operae pretium sit, haec antiquissima Venedi nominis vestigia obseruasse. Quae tanto minus negligenda videntur, quanto rariora sunt ob corruptionem vocabulorum peregrinorum diuersarumque nationum confusionem a Graecis factam. Nam quotquot etiam e veteribus Sarmatarum Venetorumque non minus in Asiae tractu, quam in Europaeis partibus, tanquam potentissimarum et populosissimarum gentium meminerunt, fatentur tamen ingenue ignorantiam suam et Scythico, quod eheu! quam late per Europam Asiamque patuit, Venetum ac Sarmaticum nomen, vtrumque a re centioribus curate a Scytharum genere distinctum saepissime comprehendunt.

§. II.

§. II.

Iuuabit inprimis Sarmatas Europaeos, maxime Slavos et Venedos in antiquiſſimis ſuis ſedibus perluſtrare. Diligentiſſimos geographos, quod ſupereſſet terrarum, ille, quem iam aliquoties excitauimus, Plinius tribus aſſignaſſe ſegmentis commemorat: eorum primum a Tanai per Moeotin lacum et Sarmatas vſque Boryſthenem atque ita per Dacos partemque Germaniae Galliaſque continuare. Quodſi dimidiam huius orbis partem iam antiquiſſimo tempore dicamus habitatam a Slauis, dum quis Sarmatas, Venedos, Slauos, Hamaxobios, Aorſos, Riphaces, Riphaeos, Roxilanos, Arimaſpos, Antes, Alanos, quin Peucinos etiam ac Baſtarnas, quanquam a Plinio male Germanis annumeratos, Iazygas, Arimphaeos et ſexcentos alios eiuſdem nationis et ſtirpis, etiamſi diuerſorum nominum, populos eſſe meminerit, facile auctores in ea re conſentientes habebimus. In Mela quidem Venedorum nomen plus, quam in alio vllo, deſideres. Sarmatiam, ait, intus, quae ſequuntur, Viſtula amne diſcretam, qua retro abit, vſque ad Iſtrum flumen immitti. Intra eoſdem fines, qui poſt Melam Veſpaſiani tempore ſcripſit, Plinius Venedorum nomen diſtincte exprimit, et Eningian incompertae magnitudinis, non minorem opinione, quam Scandinauiam ab Hillenionibus incolis alterum terrarum orbem appellatam, ſcribit e quorundam traditione ad Viſtulam vſque fluuium a Sarmatis, Venedis, Scirris, Hyrris habitari. Hiſt. Nat. IV, 13. Superiora inter Danubium et Hercynium ſaltum vſque ad Pannonica hiberna ſecundum eum tenuere Carnunti accolae in Germanorum confinio, campos et plena Iazyges Sarmatae, montes vero et ſaltus pulſi ab his Getae, Daci Romanis dicti, ad Pathiſſum amnem a Sueuis regnoque Vanniano dirimen-

rimentem eos: auersa Bastarnae aliique inde Germani. Pergit, vt de latissimis Sarmatiae finibus iudicare possis: Agrippa totum eum tractum ab Istro ad Oceanum bis ad decies centum millia passuum, quantum minus quadringentis, in latitudinem ad flumen Vistulam a desertis Sarmatiae prodidit. Sicut vero per ignorationem plurimarum regionum Sarmaticarum, quam ipse profitetur Plinius, qui eam ob causam Scytharum nomen vsque quaque transire in Sarmatas atque Germanos dicit, quod extremi gentium harum ignoti mortalibus degant, sicut etiam ob contiguos vtriusque populi fines accidit, vt is, quam de diligentia sua laudauimus, Bastarnas, vtique Sarmatici sanguinis gentem, in Germanorum numero habeat, ita Tacitum quoque, Peucinorum Venedorumque nationes Germanis adscribat, dubitare legimus. German. 46. Velim cum his conferri Strabonem lib. VII. qui imperante Tiberio scribens omnem terram inter Germaniam et Pontum Euxinum bifariam diuidit traditque regionem ad ortum et Pontum Euxinum Getas habitare, ad occasum vero Dacos et Dattos, vsos eadem lingua cum Getis: quid autem sit vltra Germanos et alios iis confines, siue sint Bastarnae, siue alii, siue Iazyges siue Roxolani, siue alii plaustra pro sedibus habentes, ignorat cum ignarissimis. Sintos quidem Thracicam gentem, quam dixi, me Vendorum putare, lib. VII. commemorat Lemnum insulam habitasse, in cuius posthac vicinia Strymonem et Strymonicum sinum populares Slauico nomine nobilitauerunt, eosque I. Iliados v. 594. Homerum appellasse Sintinas. Nominatim vero Scytharum totam Epirum et Graeciam fere et Peloponnesum Macedoniamque tenentium non a Strabone, verum ab eius epitomatore iniecta est mentio, vnde acute coniicit Henricus Doduellus in

diss.

diſſ. eruditiſſima de Excerptoris huius aetate eum intra annum aerae noſtrae chriſtianae 976. et 996. ſcripſiſſe. Eſt tamen in quatuor oppidis, quae Strabo Iapydibus (puto gentem Sarmaticae originis) tribuit Οὐενδω, pro quo libri impreſſi habent Vendus. Fallor, niſi hoc etiam nomen, etiamſi alia argumenta deeſſent, veterem cognationem Iapydum atque Illyriorum Venetorum cum Venedis eſſet aequis iudicibus probaturum. Quo frequentiores deinde Slauorum incurſiones cadente imperio in Romanas prouincias, eo clarior apud ſexti et ſequentium ſeculorum ſcriptores Slauini Venedique nominis extat memoria. Plane id expreſſerunt Ptolemaeus Alexandrinus, Procopius Caeſareenſis, Iornandes et qui deinceps ſcripſerunt. Nam qui Antonini Pii aetatem vidit Ptolemaeus, tenere ait Sarmatiam gentes maxime Venedas per totum Venedicum ſinum et ſuper Daciam Peucinos et Baſtarnas, et qui totum Moeotidis latus teneant, Iazygas, ac Roxolanos, et qui interiores ſint iis Hamaxobios et Alaunos (puta Alanos) Scythas: minores autem gentes tenere Sarmatiam penes Viſtulam quidem fluuium, ſub Venedis Gythones et Phyanos, poſt Bulanes, ſub quibus Phurgundiones, poſt Auarinos iuxta caput Viſtulae amnis: ſub his Ombrones, poſt Anatophrantes, poſt Burgundiones, poſt Arſyetas, poſt Soboros, poſt Piengitas et Beſſes penes Carpatum montem. Iis omnibus orientaliores eſſe ſub Venedis quidem iterum Galindas et Sudenos et Stauanos vſque ad Alaunos. Vſus eo loco ad origines Pruſſiae explicandas Hartknochius P. I. cap. I. §. 10. quomodo variarum gentium appellationes Graecorum Romanorumque more Alexandrinus corruperit, demonſtrauit, nobiſque, qui iam aliud agimus, otium fecit. Qui deinde Iuſtiniani tempore ſcripſit, Iornandes

Venetos, quorum populoſam nationem refert ad Viſtulam conſidere, quanquam ab vna ſtirpe exortos, tria nomina reddidiſſe, id eſt, Venetos, Antes, Slauos, hosque omnes olim Ermanarici Gothorum regis imperiis paruiſſe affirmat. de rebus Geticis V, 23. Addit Procopius de bello Goth. III, 14. nomen quondam Slauenis Antiſque vnum fuiſſe: vtroſque enim appellaſſe Sporos antiquitatem, ſe opinari ob id, quia σποραδὴν h. e. ſparſim et rare poſitis tabernaculis regionem obtineant, quo fiat, vt magnum occupent ſpatium. Et vero vlterioris ripae Iſtri partem maximam habere. E quo loco ſimul efficitur hoc, quo non minimae difficultates a recentioribus quibuſdam nexae tolluntur, Antarum vocabulum corruptum eſſe ex Henetorum, Enetorum, Venetorum: ne dicam, laudari auctoritates, quibus etiam Antes ſcribantur. Ecquis vero in ſplendidis Iuſtiniani M. titulis Antici agnomen haud legerit, ob victoriam de his quoque populis exciſo regno Gothico reportatam. Satis ea de re Montefalco in Palaeographia graeca aliique viri eruditi expoſuerunt. Nec animus eſt Slauini et Venedici nominis propagationem in Graecis deinceps ſcriptoribus, qui VII. et ſequentibus ſeculis ſcripſerunt, perſequi. Ab Iuſtiniani aetate norunt omnes frequentiſſimam eſſe horum populorum memoriam, et non nullis a Conſtantino Porphyrogenneta petitis locis vtemur inferius, quantum opus ad eruendas origines Lechi.

§. III.

Sed et aliae ſedes Venetorum a veteribus hiſtoricis et geographis commemorantur, quarum notitia cum in Lechi Lechitarumque originibus euoluendis non parui ſint momenti futura, eas inprimis indicare debemus. Scilicet non hanc tantum Europae partem a Palude inde Moeo-

Moeotide ad Viſtulam vſque fluuium potentiſſimus populus ab antiquo obtinuit, verum paſſim etiam in Illyrico Iſtriaque et ſuperiori parte Italiae habitauit. Gallorum inprimis Cenomanorum ſocietate factum, vt a nonnullis Celtico nomini infereretur. Fama fert, in Iſtriam Venetos ſub Antenore claſſe aduectos. Nec video cur de ea re admodum dubitare velimus. Vtrum tamen omnes, qui vel in Iſtria, vel in Illyrico, et cum maxime in Illyrico habitauerunt, periculoſum per mare iter fecerint, non decernam. Etenim dum ea perpendo, quae de latis Venetorum finibus apud veteres probos auctores commemorata lego, fere in eam opinionem adducor, vt non a Viſtula tantum fluuio ad Maeotidem, ſed a Maeotide amplius ad Italiae vſque ab ipſis habitatum angulum antiquiſſimas eorum ſedes tantum non continuaſſe exiſtimem. Nimirum a Ponto ad Adriam multa quidem Graecorum emporia Germanicae etiam aliaeque nationes (nam Veneti auctore Procopio ſparſim conſueuerant habitare) interiectae fuerunt; nec tamen pauca locorum interualla Sarmaticis, id eſt, Slauicis Venetiſque coloniis occupata. Quanta quidem in Adria fuerit ipſorum potentia, docet vetuſtiſſimus auctor, Scymnus Chius, qui ad Adriaticum ſinum quinquaginta eorum vrbes commeminit, et, ne de ortu populi dubites, famam ferre ait, tranſgreſſos ex Paphlagonum regione habitaſſeque circa Adriam. Iuuat totum locum ex Chii deſcriptione orbis hic edere a. v. 368. ad v. 402. vt eo facilius ſit coniecturae noſtrae iudicium, quibus etiam Scymni errores ad veras Venetorum ſedes perſequendas videntur viam munire. Deinde eſt, ait, Adriaticum mare dictum. Theopompus vero deſcribit huius ſitum: vt quod faucibus iunctum Ionico inſulas habet Cycladibus ſimillimas. Harum

vero illas quidem dictas Abſyrtides Electrideſque, has vero etiam Liburnicas. Sinum docent Adriaticum barbarorum multitudinem quandam circum habitare circulo centum fere myriadibus quinquagintaque, regionem optimam colentes et fructuoſam. Gemellos enim parere aiunt et pecora. Aër diſcrepans vero circa Ponticum mare eſt ſuper illos quamuis exiſtentes vicinos. Non enim niuoſus neque valde frigidus, humidus vero omnino aſſidue manet, ſubitus, turbulentuſque exiſtens ad mutationes maxime aetatis, igneorumque turbinum et iactus fulminum, dictoſque illic typhones. Henetorum vero ſunt quinquaginta vrbes in illo ſitae ad ſinum. Quos tranſgreſſos eſſe aiunt ex Paphlagonum regione, habitaſſeque circa Adriam. Henetis finitimi ſunt Thraces, Iſtrii dicti: duae vero inter illos ſunt inſulae ſitae, plumbum quae putantur optimum ferre. Super vero has Hymani et Mentores. Eridanus, qui optimum electrum fert, quod aiunt eſſe lacrymas petrificatas, pellucidas, populorum deſtillationem quandam. Dicunt enim fulminationem olim Phaëthonti hic contigiſſe quidam. Propterea etiam multitudinem omnem incolarum atratamque eſſe, lugubreſque habere veſtes. Seruamus huius loci integram explicationem meliori tempori. Nunc tantum in Scymni narratione de Venetis coniunctionem Adriatici maris cum Pontico, et immenſa locorum ſpatia ab Enetis Adriam accolentibus ad Eridanum, qui optimum electrum ferat, quod aiant eſſe lacrymas petrificatas, pellucidas, populorum deſtillationem quandam, ſpatia, inquam, tam longa, in Henetorum nomine celebrando, Chio quaſi vno ſpiritu permeata animaduertere noſtros lectores atque emetiri cupimus. Non ignoramus, longe alium a Scymno Eridanum, nempe Padum Italiae, indicari. Nihil hac

Eridani

Eridani Prussici Italicique permixtione frequentius apud veteres, vt qui et Istrum et Tanaim saepe confundunt Veriora tamen de loco, vbi Electrum nascitur, prodidit Dionysius in descript. orbis v. 317. quanquam ipse etiam prope fontes pulcrifici iuxta Celtas Eridani tacitam per noctem Heliodas Phaëthonta luxisse Celtarumque filios sedentes sub vlnis lacrymas colligere aureo colore fulgentis electri, v. 290. seqq. aliorum vestigia poëtarum secutus cecinerat. Vtrumque, siue candidum, siue fuluum succinum, constat, in mari Sarmatico natum, ex his locis ad loca Pado vicina nobili et fructuoso commercio peruenisse. Plin. H. N. l. 37. c. 3. Vnde vero est, vt verbis Solini vtar, vt illud ipsum electrum Padaneae syluae flere falso ferantur. Scilicet ego nullam aliam comminiscor erroris causam, nisi eam ipsam, quae Eridano in Sarmatis et Pado Italorum simile nomen affinxit, Venetorum stabiles vtroque in loco sedes, qui sua in vtrumque nomina, similibus deinde Graecorum verbis expressa, et easdem vtrobique fabulas protulissent. Fallor, nisi et Rhodano idem nomen impositum Raetorum fontem eius accolentium obscuras origines indicat. Profecto enim et Raeti et Norici ac Vindelici non fuerunt Germani. Agathemeri tempore, id est, seculo III. non multum ante fontem Rheni originem ducens Ister, quem vsque ad vrbem Vindobonam Danubium appellant, terminabat Germaniam a vicinis gentibus, Raetia, Vindelicia et Norico, supra Alpes et Italiam positis. cf. Agathemeri Geogr. lib. II. Nec adeo contra Graecorum omnium fidem Noricos eosdem esse, quos serior aetas Slauos nominauerit, Russicae historiae pater Nestor perhibuit, et Vindelicos Venedos Licum bibentes iam aperte professus est Venantius Fortunatus.

§. IV.

§. IV.

Intelligent me non monente lectores, vnde Istriae et Istri fluminis in mare Adriaticum exeuntis, sane eius longe diuersi a Danubio, quod iam Plinius lib. III. cap. 18. fatetur, qua, inquam, migratione et quibus auctoribus hoc nomen in eas oras delatum esse existimem. Non dicam, quibus ista antiqua Venetorum extensio per Istriam atque Illyricum displicet, quinquaginta vrbes in ipsorum per Italiam finibus Scymni aetate difficillime reperturos. At oppida Venetorum in Istria complura ex Plinio atque aliis idoneis auctoribus nouimus. De ipsorum autem antiquissima denominatione per vniuersum Illyricum Slauica locorum vocabula ab vltima temporis vetustate seruata testantur. Legi in eam rem velim Sebastianum Dolci de Illyricae linguae vetustate et amplitudine, (Venetiis 1754.) et Luccarium in annalibus Ragusinis, doctissimumque abbatem Melitensem Maurum Orbinum in regno Slauorum p. 173. Ceberrimus hic auctor praeclare demonstrat, antequam a Slauis occupatum fuisset Illyricum, Slaua lingua semper Illyrici populos vsos fuisse: quod ipsum etiam Dolci explicatis e sermone Slauico plurimarum vrbium, pagorum fluminumque nominibus propriis confirmauit. Libet e multitudine exemplorum pauca ad fidem rei conciliandam seligere. Selyos nomen probant Illyrico sermone oppidum, et Bria, Briegh, locum editiorem significare. Orbinus p. 9. affert illustria monimenta vetustissimi Illyriorum idoli Iakobog dicti, quo Slauico nomine fortem Deum appellarunt. Ad haec Plutarchum in Pyrrho audiamus: Achilli, inquit, honores in Epiro diuini sunt habiti, quem ipsi sua lingua Aspettum, hoc est, ingentem cognominant. Vox Aspetti adeo Illyrica, vt nihil supra; nam quicquid vel conditione, vel superbia elatum

est,

eſt, Venedicc ad hunc diem Aſpetto dicitur. a Ptolemaeo Lib. II. inter Dalmatiae oppida Creſpa, et inter inſulas Coritta refertur, quae nomina, teſte Orbino p. 174. Slauica ſunt, Creſpa quidem rapinam, Coritta aquarium ſignificante. Ratanei etiam oppidi, a Plinio lib. II. c. 22. memorati, origo Slauonica a Rat (italice punta) quo nomine etiamnum illius regionis incolae a Slauis vocantur. Dagorzi abiere in Daoriſios, Diklici in Docleatas, Dereſaini in Deretinos, Sichoezi in Siculotas, Mliet in Melitam, Riſignani in Rizzonitas. Hodieque Raguſini Dalmatiae inſulam, quam Graeci et Latini Iſſam dicunt, Viis nominant. Eandem Polybius in fragmentis (p. 128. apud apud Fulu. Vrſinum) tradit propria ſua voce Viis appellari. Vardeos, quos Plinius L. III. C. 22. populatores Italiae dicit, Strabo vocat Ardiaeos, notatque, eos ab antiquo fuiſſe Veralios. Caecus ſit, qui Illyricam vocem Varli, quae ardorem animi virtutemque bellicam exprimit, in Veraliis iſtis non videat. Appianus Salonam, Slanum, plane Slauici nominis vrbem commeminit.

§. V.

Ex his omnibus liquere exiſtimo, antiqua, ſiue Antenore duce, ſiue aliis ignotis ductoribus, longe ante Chriſtum natum migratione, Sarmaticae originis populum Venetos et in Italiam eſſe delatos, et Adriam, Iſtriam, Illyricum omne; eoſdem vero haud dubie ab altera quoque Ponti Euxini parte ad eas vſque Europae extremitates, vnde Electrum venire iam narratum erat Herodoto, III, 15. nempe ad iſtum Eridanum fluuium, qui ſubit mare ad ſeptentrionem ſpectans, latiſſime, quamuis ſparſim, Scythicam omnem terram accoluiſſe. Neque enim hoc ita accipi volo, ac ſi omne Scythicum, Gothicum,

Thracicum, Dacicum, Illyricum, Aeſtium, Vandalicum nomen aut omnino ex antiquiore hiſtoria delere aggrediar, aut Sarmaticae vel Venedicae originis eſſe conſtituam. Verum has omnes gentes Venedis Sarmatis vbique terrarum permiſtas, non ſecus, ac veteres graeci ſcriptores ipſarum multa nomina confuderunt, crediderim. Spororum nomen, quos Procopius meminit, apud antiquiores fruſtra quaeſiui. Neſcio an Nomadum appellatio propterea, quod eandem vtrumque vocabulum vim habet, Venedis noſtris Slauis apud Herodotum L. IV. c. 17 ſq. propria ſit. Nec multum poteſt is Herodoti locus ad res Venedorum illuſtrandas conferre, cuius de obſcuritate plus quam Cimmeria iam conqueſtus eſt Strabo L. IX. p. 508. Saepe de Boryſthenitis, qui ſe Olbiopolitas vocarunt, in animum venit, an Slauicum verbum Herodotus in Olbios verterit, quaeri debere. Conſtat enim ὄλβιον Graecis eſſe beatum. Et videbatur hoc poſſe aliquid lucis affundere. Verum enim vero nunquam poterimus tenebras iſtas omnes diſpellere. Illud autem, quod volebamus, putamus effectum eſſe, vt de Venedis, fortiſſimis atque opulentiſſimis Sarmatarum, ante Chriſtum etiam natum longe lateque diſperſis dubitari non poſſit. Cogitent etiam viri docti de Mentonomo oceani aeſtuario, quod Pytheas Maſſilienſis apud Plinium l. XXXVII. c. 2. Guttonibus, nempe Gothis, accoli affirmat, et a quo ſpatio ſtadiorum ſex millium nauigatione abeſſe dicatur inſula Abalus: illuc vero fluctibus aduehi ſuccinum et eſſe concreti maris purgamentum, quo incolae pro lignis vtantur, quodque proximis Teutonis vendant. Mentonomi vocabulum corruptum eſſe non minus, ac Guttonum, nemo non fatebitur. Vtrum vero facilius ſit aliquid Vendicae, quam Germanicae mentionis per leuiuſculam emendationem

dationem inferre, peritus talium rerum lector conii-ciat.

§. VI.

Sarmatis enim Venedis Medorum propagine e Paphlagonia in Europam et ad vtrumqne Ponti latus per maria, per terras late deductis, nos propius conuertimur ad quaestionem propositam, num forte illa virorum doctorum sententia, qui Lechum ante Christum natum in Poloniam aduenisse statuunt, sustineri queat, ante omnia inuestigaturi. Quam quidem tribus potissimum argumentis retundendam existimamus: I. quod isti antiquissimi Venedi hodiernam Poloniam Prussiamque sparsim incolentes fere fuerunt Nomades, ideoque ductore tali, qualem Lechum veteris traditionis auctoritate extitisse oporteat, sine vlla dubitatione caruerunt: II. quod, qui apud posteros ad hunc vsque diem Polonorum aduenientium dux celebratur, debet eo tempore aduenisse cum suis colonis, a quo illi istas sedes perpetuo tenuerunt, nec a noua natione ingrediente fuerunt depulsi. Quis vero nescit, Tacitum in iis partibus Aestiorum gentem collocare, de M. G. c. 45. quorum mores et potentiam ita describit, vt nec Venedici generis, nec Venedis in ora Sueuici maris eo tempore subiectos fuisse perspicias. Hos demum teste Iornande cap. 23. Hermanaricus Gothus perdomuit, et suis opibus Gothorumque posthac fortunae adiunxit. Non abnuam, Aestios esse eosdem cum Astingis, Vandalorum familia, quamuis, qui nunc aliud ago, nec acriter de ea re cum quoquam contendere velim. Illud extra dubium est, Vandalos in ista ripa Oceani olim regnasse. Inde ad Romanum limitem, nempe Danubium, referente apud Iornandem Dexippo, vix in anni spatio peruenerunt, prae nimia terrarum immensitate. Iornand. de R. Get. cap. 22. Consen-

tit Caſſius Dio, in expeditione Druſi Germanica Albim ex Vandalicis montibus effluxiſſe commemorans. Et quanquam Vandalorum veſtigia Venedos extemplo legiſſe atque in has terras ab iis migrantibus derelictas ingreſſos eſſe plurimi viri docti ſtatuunt, Lechum tamen ne eo quidem tempore aduenisſe, poſtea apparebit. Libet tertium argumentum adiicere, cur Lechus non poſſit in Poloniam veniſſe ante Auguſti Imp. aetatem. Nempe quod iam alibi oſtenſum eſt, qui in hac hiſtoria enarranda ab erroribus ſibi cauere uolunt, debent nunquam Zechum dimittere, fratrem Lechi, ex oculis. Is vero propter Quadorum et Marcomannorum imperia non poteſt tam cito incoluiſſe Bohemum.

§. VII.

Enimuero non multis haec opinio de aduentu Lechi ante Auguſtum Imp. arriſit. Quando autem poſt eam aetatem ſiue ſolus, ſiue cum colonis acceſſerit, de ea re plures circumferuntur ſententiae. Has quidem intra haec tria tempora annorum 278. 550. et 644. fluctuare ſcribit Iordanes de origin. Slauor. T. I. c. 15. §. 1. aliam ipſe opinionem, nempe annum 374. quo Probus Praefecturam Illyrici obtinens Sirmii in Pannonia reſidere et populis crudeliter imperare coepiſſet, laudata Ammiani auctoritate, nec minore eruditionis copia, quam ingenii ſui vi explicata profeſſus cap. XIV. §. 40. Ego vero, vt ordine progrediar, id primum declarandum eſſe exiſtimo, non poſſe tribus prioribus ſeculis poſt Chriſtum natum haec iacta eſſe Poloni ſiue Lechitarum imperii fundamenta. Quamuis enim non auſim negare, fuiſſe in iis populis, cum quibus Antonino Philoſopho depugnandum fuit, etiam Venedos, cum et ipſe, quod Marcellinus teſtatur, Marcomannorum et Sarmatarum nomina in hoſtium ſuorum commemoratione ita coniun-

coniunxerit, vt non ſoli Iazyges videantur ipſi graues fuiſſe, et vero ſimile fiat, Vandalis ex agro ſuo egreſſis finitimos Venedos ſucceſſiſſe, itinerique longius perſequendo non minus, quam ipſos Vandalos inſtitiſſe: novimus tamen hos et Marcomannos fortiter ab imperatore repreſſos, Sarmatisque etiam et Quadis extinctis, Pannonias ſeruitio liberatas. Capitolin. in M. Anton. cap. 17. Itaque prope verum eſt, Vandalos in antiquas ſedes remeaſſe. Nam et poſt ea tempora Caſſius Dio lib. LV. Albim memorat e Vandalicis montibus profluentem, et in Caracallae hiſtoria non alios populi fines, quam qui iam ante Philoſophum fuerant, Viſtulam, Viadrum et Albim definit. Exc. Valeſ. p. 756. Etiamſi igitur in Marcomannico bello fines ſuos aliquantum prorogauerint, illius tamen exitus neque Vandalis neque Sarmatis fuit tam felix, vt de magna rerum conuerſione et noui imperii Venedici in Polonia originibus cogitare queamus. Sentio, quod amplius dici poſſit: nempe Venedos ſine dubio Vandalos pepuliſſe, Vandalorum igitur Iazygumque ac Marcomannorum et Quadorum clades his quidem partim exitioſas, partim, ne vlterius progrederentur, potuiſſe impedimento eſſe, ſed, vt arma in Venedos retorquerent, vt de priſtinis ſuis ſedibus eos depellerent, cum minor ſit victi populi virtus, quam victoris, nequiuiſſe efficere. Et id ipſum me mouet, vt Vandalos et Venedos prope Viſtulam atque oceanum ſeptentrionalem ab eo tempore miſtos, quin illos etiam tum intra anguſtiores aliquantum fines coercitos, tum in communibus locis inferiores paſſim Venedis fuiſſe exiſtimem. Caeterum ſtat ſententia, non vidiſſe hanc aetatem Lechum et Zechum. Nam et Marcomannos in Morauiam et Bohemiam poſt victorias Antonini reuerſos eſſe oportet.

§. VIII.

Clarissimum abhinc bellum Aureliani cum Vandalis, de quo Dexippus et Petrus Patricius in Excerptis Valesf. tradunt, inter caeteras causas potissimum effecisse videtur, vt imperator perpetuorum bellorum pertaesus, relicta Dacia, Danubium Romani imperii limitem constitueret. Quo facto etiam Vandalos, non nullosque forte cum iis Venedos, desertam Daciam introiisse, certe vtrumque populum versus Istrum mouisse probabile est. Circa idem tempus Marcomanni cum Iuthungis et Alamannis expeditionem in Italiam fecerunt, vbi post victoriam per errorem prope Mediolanum reportatam, tribus proeliis apud Placentiam, iuxta amnem Metaurum ac fanum Fortunae, postremo Ticinensibus in campis ab Aureliano caesi sunt fugatique. Vopisc. in Aurel. cap. 18. 21. Aurel. Victor. cap. 35. Zosimus Alamannos cum remotioribus et finitimis sibi nationibus Italiam incursionibus vexandi consilium iniisse, lib. I. cap. 49. Victor Aurelius ab iisdem, Vopiscus a Marcomannis Italiae vrbes afflictas scribit, l. l. E quibus diuersorum scriptorum narrationibus licet haud obscure colligere remotiores ab Alamannis Marcomannos eo adhuc tempore in Bohemo degisse atque Morauia. Cum igitur patriam, pulsis Boiis, vt ait Strabo, virtute partam, in quam Maroboduus eos transtulerat, cum Alamannis in Italiam exeuntes reliquerant, patuit Bohemia Venedis: immo non Bohemia et Morauia tantum, sed et Austriae pars atque Misnia, quarum sine dubio incolae, si recte capio Zosimum, Alamannos secuti erant, Venedis patuerunt. Nec alienum est credere Venedos per eam opportunitatem ingressos, quicquid Marcomannicarum aut reliquiarum superesset, aut copiarum ex Italicis proeliis euadentium patrios lares repeteret, has

aliqua

aliqua parte agrorum quaſi multaſſe. Nullum tamen Lechi et Zechi in illa migratione veſtigium. Ecquis enim aut fratres iſtos eo ſeculo e Dalmatia, aut Venedos procul dubio ſparſim per deſerta a Vandalis et Marcomannis loca vagatos ad Sueuici maris oram inque Bohemiae et Morauiae regiones cum ducibus aduenifſe exiſtimet?

§. IX.

Haec dum ſcribo, non dememini Gothorum, Caracalla imperante Daciam irruentium, Herodian. lib. VI. cap. 7. deinde Gordiani, Philippi, Decii tempore Moeſiam Thraciaſque vaſtantium, Capitolin. Gordian. cap. 26. Iornandes de reb. Get. c. 16. Zoſimus libr. I. c. 26. ſq. atque inprimis ſub Valeriano, immo ſub ipſius Aureliani eorum feliciſſimi victoris imperio cum Boranis, Carpis et Vregundis, populis propter Iſtrum colentibus, nullam nec Italiae nec Illyrici partem relinquentium a continuis vexationibus immunem, omniaque, vt ait Zoſimus, lib. I. c. 31. nemine reſiſtente diripientium. Non, inquam, bellicae Sarmatarum cum Gothis ſocietatis, ob quam fere Gothica bella iiſdem interdum ſcriptoribus Sarmatica dicuntur, dememini. Nam tota Venedorum hiſtoria cum rebus Gothorum ſic coniuncta eſt, vt vtraque horum fortuna illorum gloriam nobilitauiſſe videatur. Cum tamen veterum nemo eos inter Sarmatas, qui ſeculo III. Illyricum vaſtauerunt, Venedos nominatim commemoret, quamquam Zoſimus Boranos et Carpos nominat, Pollio in Claudio cap. 6. Peucinos, Roxolanos in Aureliani triumphis (nam et hic Gothos, Alanos, Roxolanos, Sarmatas in Illyrico et ad vtramque Iſtri ripam deuicit) Vopiſcus, cap. 22. veremur direptiones iſtas tribuere Venedis, quos a Traiani, certe ab Antonini Pii aetate magis ſuo, quam communi Sarmatarum nomine memoratos eſſe,

vbi

vbi nobiliorem expeditionis partem feciſſent, probabile eſt. Itaque non deducimur a noſtra opinione, Venedorum in Illyrico arma hoc ſeculo non viſa, ſed magis eos in dilatandis, prope mare Sueuicum et intra Albim Danubiumque, finibus per opportunitatem temporum occupatos fuiſſe. Quo ſolo argumento ſententia Codicilli Petri et Weleslauinae conuellitur anno 278. Lechum et Zechum Dalmatas in Poloniam Bohemiamque veniſſe exiſtimantium. Nam ſi vetuſtiſſimos Illyricos ab Antenoris aetate Slauos meo etiam iudicio haberi obiicias, adeoque Illyricum quemque potuiſſe ad Venedos Viſtulanos redire, geſturus populorum ſuorum imperia, perinde eſt, ac ſi e Lecho et Zecho Liburnos aut Romanos velis efficere, cum, qui antiquitus in Illyrico degerant, in alium longe morem oporteat transformatos fuiſſe, nec Venedis in Sarmatia, niſi quadam idiomatis forte ſimilitudine, eaque ipſa valde exigua, adhuc cognitos. Sed in eo omnes annales, omniaque rerum geſtarum monimenta conueniunt, Zechum et Lechum nec cultae, nec Illyricae veteris nationis, ſed Venedorum Traiani et Antoninorum aetate ſinum Venedicum accolentium, imperante Iuſtiniano magno Illyricum Iſtriamque vaſtantium, id eſt, colonorum, quos adducerent, aboriginum, quos repeterent, plane ſimiles extitiſſe. Qua de cauſſa nobis ſatis ſit, ſemel profiteri, quod a peritis lectoribus ſumtum iudicamus, non in vetuſtiſſimis Italiae Venetis accoliſque Illyrici, ſed in migrantibus tempore Auguſtorum, atque imperii Romani prouincias, tandemque ipſam Italiam irruentibus nouis Venedis quaerendas eſſe illuſtriſſimorum fratrum Lechi Zechique origines et natales.

§. X.

§. X.

Quaecunque deinde Probo, Caro et Maximiniano imperantibus partim a Romanis, partim a Thuringis et Taifalis contra Vandalos gesta sunt, nequeunt populi statum insigniter mutauisse: alioquin eius conuersionis mentionem facturi fuissent diligentes rerum Romanarum huius aeui scriptores Zosimus et Vopiscus et alii. Id vnum Mamertini testimonio constat, Maximiniano Aug. regnante Germanos atque Sarmatas Sarmaticas et Rheticas et transrhenanas expeditiones Romanorum imitatos esse in semetipsos, atque a sole exoriente ad vsque Moeotis paludes omnia bellis et cladibus repleta fuisse: ab ipso solis ortu non modo hac citra Moeotin sub extrema septentrionis plaga, qua feruidum caput Danubius euoluat, quaque horridus secet Albis Germaniam, sed etiam sub ipso lucis occasu, qua Tingitanum littus Calpetano monti obvium latus in mediterraneos sinus admittat Oceanum, ruisse omnes in sanguinem suum populos, quibus nunquam contigerit esse Romanis, quique obstinatae feritatis, vt ait, poenas tum sponte persoluerint. Pergit Mamertinus: Gothi Burgundos penitus exscindunt: rursum pro victis armantur Alamanni itemque Theruingi, pars alia Gothorum adiuncta manu Taifalorum, aduersum Vandalos Gipedesque concurrunt. — Burgundiones Alamanorum agros occupauere, sed sua quoque clade quaesitos. Alamanni terras amisere, sed repetunt. Quodsi coniicere velis, hac etiam opportunitate Venedos vsos ad itinera sua in Germaniam persequenda, coniecturam, non testimonium, proferes. Videtur quoque Gothorum crescens potentia obstitisse, et cum agros ab horum finitimis Burgundionibus captos Alamanni repeterent, tum vero omnia rediisse ad priorem statum. Eodem quidem tempore a

Romanis non tantum contra Alamannos et Francos: nam hos Conſtantius in agro Batauorum tum commorantes deuicit, Alamanniam a ponte Rheni vſque ad Danubii tranſitum Guntienſem deuaſtauit; v. Eumenius Panegyr. IV. c. 2. ſq. verum et contra Marcomannos, Quados et Sarmatas geſta ſunt bella. Hi omnes Iſtri tranſitum fruſtra moliti, et a Diocletiano Sarmatico Maximo caeſi ſunt: Sarmatae etiam antea in Caro in Pannonia victi. Vopiſc. in Caro. c. 8. 9. Aurel. Victor c. 39. Eutrop. libr. IX. c. 15. Noli tamen Venedos aut belli aut cladis a Caro ac Diocletiano acceptae participes credere. Carpi et Baſtarnae ab Eutropio memorantur. Illorum tota natio a Diocletiano ſubacta atque trans Danubium abducta eſt, vbi in Pannonia nouas ſedes accepit. Idat. Faſt. ad an. 295. Caeteros autem Sarmatas, ſi qui Diocletiano et Maximiniano imperantibus praeter Carpos Baſtarnaſque deuicti ſunt; nam cum prope omnem Sarmaticam gentem et paene cum ſolo nomine relictam eſſe Eumenius glorietur, l. l. cap. 5. facit, vt non immerito dubites; ſi qui tamen cum Romanis eo tempore rem habuerunt, Metanaſtas Iazygas puto, non Venedos, cum ſollenne ſit Romanis ſcriptoribus communi Sarmatarum nomine Iazygas, proximam Ponnoniae gentem Danubium inter atque Tibiſcum indeque Romanis notiſſimam, ab Auguſto olim in commilitium adſcitam, (Tacit. hiſt. III, 5.) deſignare (cf. inprimis Ammianus libr. XVI. c. 10. cum Themiſtio Or. IV. p. 56.) ipſique etiam Iazyges cum Marcomannis et Quadis ſubinde foedus habuiſſe legantur. Certe populoſa Venedorum natio tum arma contra Romanos haud tulit, etiamſi non nulli Venedi poſſunt in Sarmatico exercitu militaſſe. Sic nihil habet haec aetas inſigne Lechi et Czechi.

§. XI.

§. XI.

In Conſtantini M. filiorumque eius hiſtoria multa occurrunt, quae viris doctis Lechi per eam aetatem adducendi materiam praebuerunt. Ab anno 319. bellatum eſt in inferiore Pannonia atque Moeſia per triennium cum Sauromatis, ipſorumque rex Rauſimodus interfectus. Iſti vero Sauromatae, teſte Zoſimo, ante hanc expeditionem ad paludem Moeoticam habitantes et partim fugati domum, partim capti atque Romana per oppida diſtributi non poſſunt res Venedicas illuſtrare. Sunt, qui in limigantium liberorumque Sarmatarum contentionibus Lechi maiores videant, quam ſententiam cel. Iordani praeclara eruditio nobilitauit. Sed hi quidem fuerunt Sarmatae Iazyges, quod et Maſcou. in Hiſt. Germ. lib. VI. §. 35. quicquid Sarmatae liberi cum Quadis contra Conſtantium auſi ſunt, Iazygibus tribuens, declarauit; Iazygas autem, etſi Slauorum cognatos, aut, ſi mauis, Slauos eſſe haud dubito, ſingulari tamen nomine ea aetas a Slauis Venedis atque Antis diſtinxit. Iornand. de reb. Get. c. 23. His Sarmatis Iazygibus Conſtantinus M. contra Gothos auxilium tulit an. 332. (Anon. a Valeſio ad finem Marcellini editus p. 476.) et centum prope millia fame et frigore extinxit. Mox autem cum Gothis pace firmata et inter obſides filio regis Ariarici accepto in eoſdem Sarmatas verſus eſt, quia dubiae fidei probabantur. Tum ſerui Sarmatarum aduerſus dominos rebellarunt, quos pulſos Conſtantinus libenter accepit et amplius trecenta millia hominum miſtae aetatis et ſexus per Thraciam, Scythiam, Macedoniam Italiamque diuiſit. Pars in Quadorum clientelam ſe tradidit. Omnes deinde liberorum Sarmatarum nomine a limigantibus, ſeruis olim ſuis, ſic dictis forte a ſtagnoſo et humidiore ſolo, vt terras eorum prope Pathiſcum

Ammianus deſcribit libr. XVII. c. 13. diſcretos, Quadorum etiam poteſtate, vt ſemper Romanorum clientes, eripi iuſſos, et, quo reſtitutio libertatis haberet dignitatis augmentum, dato iis rege Zizaim, adiutus a Taifalis imperator Conſtantius a. 358. in paternas auitaſque ſedes reduxit, et Limigantibus primum alias terras ad colendum conceſſit, mox autem, cum proximo anno regiones limitibus confines occuparent, deinde inter pacis preces, canto claſſico, in ipſum principem ruerent, omne Limigantium nomen deleuit. Ammian. lib. XVII. c. 12. ſq. Victor. Caeſ. c. 40. Memorabile eſt, quod per eam occaſionem de permiſtis Sarmatis et Quadis vicinitate et ſimilitudine morum armaturaeque concordibus tradidit Ammianus. Nam et hoc exemplo cognoſcitur, quam facile Sarmatici ac Germanici mores, quae res etiam Venedis accidit, coniungantur.

§. XII.

Venedos ab hoc tempore ſaepius inter Thuringos ac Gothos, poſt Hunnorum autem inuaſiones etiam Hunnos inter Auareſque commemorari antiquis ſcriptoribus, viri docti obſeruant. Gothici nominis Venedicae nationi tributi initia merito ad Conſtantini M. imperium referuntur. In quae tanto magis debemus mentem intendere, quanto plus omnes poſthac Venedorum migrationes in Dalmatiam atque Illyricum inde ceperunt. Gothi enim hoc tempore non Vandalos tantum, juxta flumina Mariſia, Miliare, Gilfil et Griſſia tum manentes, vtpote qui antiqua Vandalia dudum exceſſerant, ſed his proſtratis coactiſque, vt novam patriam, partem Pannoniae, a Conſtantino precibus impetrarent, Herulos etiam Venedos atque Aeſtios bello petierunt. Iornand. c. 22. Quod quidem, auctore Iornande c. 23. hunc exitum habuit, vt

Venedi

Venedi numerofitate pollentes ideoque primum refiftere conati, tandem non fecus atque Heruli ante eos deuicti, Ermanarici Gothorum regis Gebericum regnando excipientis imperio fubderentur. Hoc autem Venedicum bellum non in ea tempora incidit, quo diuifum fuit Vifigothorum atque Oftrogothorum imperium, quam divifionem Ifidorus in Chron. Goth. anno quinto imperii Valentis adfcribit, fed ad florentiffimam Gothici regni aetatem, cum folus a Tanai vfque ad Viftulam, a Moeotide vfque ad Oceanum Septentrionalem Gothis, Scythis, Thuringis, caeterifque Germanis, Herulis, Venedis, Aeftiis, et nefcio quot aliis populis, quorum ne nomina quidem apud Iornandem intelligas, imperaret Ermanaricus. Vnde fatis probabile eft, cum Venedis tum de finibus, quos illi et verfus Iftrum et ad Sueuici maris oram extendere vellent, dimicatum effe. De Lechi autem aduentu inter haec Gothorum arma cogitare, plane ridiculum foret.

§. XIII.

Anno V. imperii Valentis primus Vifigothorum rex Athanaricus regnare coepit. A quo tempore perquam difficile eft definire, Venedi omnes Oftrogothorum, an partim Vifigothorum imperio paruerint: adeo omnia de vtriufque regni limitibus funt incerta. Communis opinio totum populum Gothis orientalibus tradit, nec aufim eam erroris arguere, cum Vifigothi a Baltico mari tum difceffiffent et cum rege Athanarico coluiffe prope Danaftrum, atque Mufiacum Taifalorumque terras a fuperciliis Gerafi fluminis ad ufque Danubium praeftrinxiffe legantur. Ammian. lib. 31. c. 3. Act. S. Sabae c. 5. cf. Mafcou. l. 7. Hift. Germ. §. 13. Nec clara in hiftoriis Vifigothicis ab Athanarici tempore aut obfequii aut focietatis Venedo-

rum veſtigia, cuiuſmodi in memoriis Oſtrogothorum occurrunt. Id conſtat, fractas eſſe ab irruentibus Hunnis Gothorum vires, vt nec Germanos nec Venedos ſatis in obſequio continerent, quin ipſi Oſtrogothi, per eos igitur etiam Venedi (vt nihil dicam de maxima parte Viſigothorum; pars enim atque ipſe Athanaricus, tutus antea, Sarmatis inde extruſis ad Cauralaudenſem lacum altitudine ſiluarum et montium, tandem a cognatis regibus in anguſtias coactus ad imper. Theodoſium fugit; Ammian. lib. 31. c. 4.) irruentium Hunnorum novo imperio, ſubita rerum omnium perturbatione, ſubiicerentur. Equidem iam alio loco oſtendi, non ita ab Hunnis deuictos vel Gothos vel Venedos, vt fuerint ſupra libertatem regnati. Nam et illi reges ſuos, quamquam Hunnis clientelares, et hi ſuos duces vel regulos ſingulorum agminum (neque enim vni parebant viro) retinuerunt. Quam ob cauſſam non omne fidei vinculum confeſtim inter Gothos et Venedos ruptum, ſed his initio per Gothos, ſic tamen, vt horum auctoritas cum ſuae libertatis imminutione labaſceret, imperatum videtur. Verum ante, quam ad Alanos et Hunnos deueniam, primum id animaduerti cupio, diſcedentibus a Sueuici maris ora Viſigothis multa ſine dubio loca earum terrarum a nouis Venedorum, vtpote finitimorum, coloniis occupata eſſe, at nouum Lechi imperium in Polonia hoc infortunato tempore, quo nunquam ſui iuris Venedi eſſent, condi non potuiſſe. Quae res ſi quam dubitationem haberet, fallor, niſi hanc omnem ſuſtulerit ſequentis aetatis hiſtoria, cum nec in Hunnorum, nec in Oſtrogothorum, nec denique in Romanorum rebus geſtis quicquam de Lechis aut Zechis, de Venedis autem, Antis et Slavis apud Iornandem, Procopium, alios ſeculi ſexti ſcriptores bene multa occur-

occurrant, ſitque omnis antiquitatis conſentiens vox, iam quarto poſt Chriſtum natum ſeculo cum Hunnis eos ac Gothis migraſſe. Vtamur enim argumento a tot diligentium ſcriptorum, inprimis a Procopii et Iornandis ſilentio ducto. Nam vt Franci ſcriptores Boëmorum, non Czechorum meminerint, ex quo iam Czechus in Boëmiam aduenisſet, Boiorum, Germanici populi, antiqua memoria, Germanici nominis caritas et oris longo vſu formata conſuetudo effecit: vt Graeci ante ſeculum XII. de Czechis atque Lechis ſilerent, vtriuſque gentis quies, quae poſt Lechi et Czechi aduentum non amplius e Polonia Bohemiaque excederet, nouorumque in Illyrico regnorum conſtitutionem cognatis ſuis Slauis relinqueret, meruit. Quam ob rem ſaepe miratus ſum viros doctos in hoc ſilentio Graecorum et Francorum, neſcio quid monſtri reperientium, auſorumque ea de cauſſa, latronum inſtar, omnia ſibi in tenebris permittentium, totum Lechi et Czechi genus e medio tollere, cum tamen in nomine Polonorum a Ditmari inde Marſeburgenſis aetate ad hunc diem omnibus vſurpato memoria Lechi ſatis clara ſuperſit. At id audeo audacter affirmare, qui ante Iuſtinianum M. hos fratres regnaſſe, populiſque ſuis nomina impoſuiſſe ſtatuant, his Agathiae, Procopii, Iornandis maxime, Caſſiodori epitomatoris aliorumque eius aetatis ſilentium ita obſtare, vt nullam umquam illius rationem idoneam reddituri ſint, eoque ipſo nimiam ſententiae ſuae difficultatem profiteantur. Qua propter etiam a me impetrare non poſſum, vt in Cel. Iordani opinionem, illuſtriſſimos fratres Lechum et Czechum tyrannide Probi, Praefecti Illyrico, motos imperante adhuc Valentiniano I. Auguſto coniicientis cum familia ſua Illyricum reliquiſſe, deſcendam. Sed et alias diſſenſus mei cauſſas ſupra expoſui. Etenim

qui

qui cum Quadis eo tempore in Valeriam arma ferebant, non Venedi proprio nomine dicti, ſed Iazyges cf. Maſcou. hiſt. Germ. lib. 7. §. 10. Iazygas autem iſto tempore, quo Venedi Romanas prouincias ingredi cupiebant, horum terras tum incultas repetiiſſe vix credam. Etiamſi vero ita factum eſſe contendas, non poteſt tamen an. 375. (nam hoc anno Valentinianus bellum cum Quadis et Sarmatis confecit,) ſtabile a Lecho imperium eſſe conditum, non is tum poteſt ſtabiles in Polonia ſedes poſuiſſe. Etenim circa hoc idem tempus irruentes Alani et Hunni, mox Attilae regis auſpiciis, ſumma imis miſcentes, ſolos Romanorum ſolum non repetiiſſe Lechitas? Praeterea regem Antarum, qui tum fuit, videor mihi etiam nomine noſſe. Aut enim egregie fallor, aut Box ille vocabatur, non Lechus. Quod vt planius confirmetur, age, pauca de Venedorum fortuna poſt incurſionem Hunnorum atque Alanorum commemoremus.

§. XIV.

Notum eſt, Hunnos atque Alanos iam Valentiniano I. Valente atque Gratiano imperantibus in Gothos, deinde in imperii conſortium adſcitis Valentiniano II. et Theodoſio, etiam in Romanos ſaeuiiſſe. Impares tanto bello Theruingi, duce Alauiuo, receptionem in Thraciam a Valente precibus impetrant. Marcellin. lib. 31. c. 3. ſq. Zoſimus lib. 4. cap. 20. His arma contra hoſpites induentibus accedunt aliae Oſtrogothicae gentes, traiectoque Iſtro, Illyricum late depopulantur. Quae tum vario Marte ad mortem vſque Theodoſii M. geſta ſunt, non opus eſt enarrare. Id tantum conſilii ratio poſtulat animaduertere, inter Gothos paſſim ſponte in ſolum Romanum receptos, paſſim, quod de maxima parte verum eſt,

vi

vi atque armis Romanum limitem ſupergreſſos atque ab Iſtro ad Alpes Iulias late vagatos aequalium omnium teſtimonio, etiam Sarmatas atque in his procul dubio Venedos fuiſſe. Hieronymus ep. 65. ſcripta, vt videtur, anno 396. Idem ep. 91. an. 409. exarata. Ambroſius in Evang. Lucae l. X. p. 202. Auſon. Idyll. VIII. ſub fin. an. 378. compoſito. Equidem ſub Hunnorum magis quam Gothorum ſignis, niſi qua proprio Marte licuit, eos tum militauiſſe reperio. Gloriatur Auſonius l. l. de

> Hoſtibus edomitis — — —
> Qua vaga Sauromates ſibi iunxerat agmina Chuni
> Quaque Getes ſociis Hiſtrum aſſultabat Alanis.

Et innato vindictae ſtudio vix aliter contingere potuit, quam ut Alani nuper ab Hunnis pulſi cum Gothis, Venedi ab Gothis deuicti cum Hunnis horum victoribus facilius in foedus coirent. De Venedorum ad Hunnos defectione intelligo locum Iornandis, vbi de bello Vinitharii Oſtrogothorum regis poſt mortem Hermanarici et diuiſionem eorum a Viſigothis contra Hunnos ſuſcepto notanter ſcribit: moleſte ferens Hunnorum imperio ſubiacere, paululum ſe ſubtrahebat ab illis, ſuamque dum nititur oſtentare virtutem, in Antarum fines mouit procinctum, eosque dum adgreditur, prima congreſſione ſuperatur, deinde fortiter egit, regemque eorum Box nomine cum filiis ſuis et 70. primatibus in exemplo terroris cruci affixit, ut dediticiis metum cadauera pendentium geminarent. Sed cum tali libertate vix anni ſpatio imperaſſet, non eſt paſſus Balamber, rex Hunnorum, ſed adſcito ad ſe Sigismundo Hunnimundi magni filio, qui iuramenti ſui et fidei memor cum magna parte Gothorum Hunnorum imperio ſubiacebat, renouatoque cum eo foedere,

X ſuper

ſuper Vinthiarium duxit exercitum. Tertio vero proelio caput Vinthiarii ſaucians interemit, neptemque eius Valdamaram ſibi in coniugio copulans, iam omnem in pace Gothorum populum ſubactum poſſedit: ita tamen, vt genti Gothorum ſemper vnus proprius regulus, quamuis Hunnorum conſilio, imperaret. Vides regem Venedorum Box, quos Venedico nomini iratus Iornandes dedititios vocat, regemque Hunnorum, Balamberem, non id, quod Gothus Venedis imperabat, aegre ferentem, ſed vt iis cum tali libertate, id eſt, non Hunnorum auctoritate atque arbitrio imperaret, non patientem: vnde apparet, niſi fallor, Venedorum Vinitharii imperia omnino detrectantium, oblata vindictae atque vltionis opportunitate, ad Hunnos, ſupremos tum omnium rerum dominos, ante bellum Vinitharii facta defectio, denique pace Hunnorum cum Gothis reſtituta ius Gothicum ſuis legibus viuendi, ſuoſque ſibi in fide Hunnorum habendi proprios reges. Haec omnia arcent et remouent omnem ab hoc aeuo cogitationem de Lecho et Czecho.

§. XV.

Vidimus ſeculo IV. Venedorum arma in Illyrico circumlata, et nouas iis trans Danubium quaeſitas paſſim atque adſignatas ſedes. Etſi enim Romani ſcriptores multa de victoriis Theodoſii Imp. commemorant, fatentur tamen tranſiſtrianis barbaris, quicunque vellent, ad eum veniendi poteſtatem factam: Zoſimus libr. IV. c. 30. Vidimus regem Antarum, quanquam non Lechum nominatum, ſed Box, cuius contra Conſtantinum Porphyrogennetam, ſi Venedos, quod quidam volunt, omnis ciuilis foederis, omniumque regulorum hoc ſeculo plane expertes feciſſet, aliquis vſus foret; et, ne quid inſigne ex

hoc

hoc aeuo teſtimonium, quo forte ad antiquitates Venedo-Hollandicas vti queamus, reticeatur, videmus apud Ammianum lib. 31. c. 1. Victorem, natione Sarmatam, in funeſtiſſimo proelio cum Gothis, quo Imp. Valens occiſus eſt, Batauos in ſubſidiis locatos properantem ad Imperatoris ſubſidium cogere, et cum inuenire meminem poſſet, retro diſcedentem. Neſcio, an inde nata ſit narratio Iohannis a Leida, Valentinianum I. victorem Vendorum in Batauia conſtituentis. Quod ego quidem, dum nouerim, an abſque auctore prolatum ſit, non auſim negare. Poſſunt enim in Alamannorum vel Saxonum, aut, quod magis credibile eſt, poſſunt in Burgundionum exercitu, quos omnes populos cum Valentiniano I. iuxta Rhenum conflixiſſe conſtat, ſocii Venedi limitaſſe. Et Venedos vergente hoc ſeculo inter Batauos conſediſſe, quis firmis atque idoneis argumentis negauerit? Ecquis Maximo, cui tot populi barbarorum et omnium Scythicarum nationum examina ſpontaneam operam ferebant, cui Gothus et Hunnus et Alanus reſpondebant ad nomen (Latin. Pacatus Panegyr. cap. 32. Ambroſius ep. 27.) et qui iuxta Rhenum bellauit, nullum a Venedis inter Gothos aut Hunnos auxilium latum eſſe contendat?

§. XVI.

Rara ante Conſtantinum M. Venedici nominis monimenta diligentem requiſitionem poſtulabant: extantiora ſec. IV. Venedorum veſtigia. Quae ſec. V. et VI. geſta ſunt, qua ſpectant ad propoſitum noſtrum, ab ipſis veteribus in tam clara luce pronuntur, vt nobis liceat orationem contrahere. Honorio imperante migrare Germani populi fere omnes: Gothi Alarico duce Moeſiam atque Thraciam ita depopulabantur, vt melius duceret

imperator Alaricum more Germanorum maieſtatem Romanam nomine tenus comiter colentium Illyrico orientali praeficere: Claudian. lib. I. de laud. Stilic. verſ. 336. Hic etiam exercitum in Noricum et plus ſemel in Italiam ducit. Sed dubito, inter has Viſigothorum copias magnum numerum Venedorum fuiſſe. Itaque quicquid et Athalaricus et ſucceſſores eius amplius geſſerint, tacitus praeteribo. Quodſi Slaui in antiqua Vandalia Rhadagaiſum inter Deos habuerunt, id quod idoli Rhadagaſti nomen indicare videtur, ducenta Sarmatarum millia, cum quibus anno 405. Noricum atque Italiam deuaſtauit, etſi non omnes, qui iſto communi nomine Iſidoro compellantur, (Chron. Goth.) partim tamen Venedos Slauos exiſtimes. Haec forte Rhadagaiſi expeditio Noricum hoſpitibus Venedis, ad quos poſthac alii acceſſere, et vnde tot manſerunt reliquiae, inundauit. In ipſas etiam Gallias cum Quadis, Vandalis, Alanis, Burgundis, Sueuis, Gepidibus atque Pannoniis Sarmatae, nec Iazyges tantum, ſed, vt in hac omnium rerum perturbatione prope verum videtur, et Venedi quidam ante Attilam migrauere. Hieronym. ad Ageruchiam de monogam. ep. 91. ad an. 409. Maxime vero haec populoſa natio derelictis Germaniae agris occupandis intenta fuit, eiuſque occupationis memoriam diuturnis tot terrarum ad Danubium, Viſtulam atque Albim poſſeſſionibus ad poſteros propagauit. Sed huius latae dominationis in Germania clara demum e ſeptimo et ſequentibus ſeculis monimenta habemus. Quo tempore ſi Lechus aut Czechus dux extitiſſet, Lechorum Czechorumque nomina ad hunc vſque diem per totam Germaniam circumferrentur. Quemadmodum ſi poſt aetatem Heraclii imp. Seruii ex Illyrico eſſent reuerſi, nullos Bohemia ethnicos, ſed baptizatos Seruios receptura fuiſ-

ſet.

ſet Conſtant. Porphyrogen. them. P. 2. cap. 32. Medio ſeculo V. et Oſtrogothos, et omnes, quos Gothorum potentiſſimus rex Ermanaricus olim deuicerat populos, in his igitur etiam Venedos flagello Dei, Attilae, paruiſſe, notius eſt, quam vt debeat teſtimonio confirmari. Hunnus etiam trans Iſtrum imperitabat, et in longitudinem a Poeonibus ad Nouas vſque Thraciae regni fines ſecundum Iſtrum extenderat. Non ripa Iſtri, ſed Naiſſus, vrbs ab Hunno capta et diruta, quinque dierum itinere expedito homini ab Iſtro diſtans, Scytharum ditionis limitem conſtituebat. Quoties totum Illyricum deuaſtauerit, quibus bellis Galliam Italiamque fere exciderit, nemo ignorat, nec facile eſt, qui Venedos aut acceptae in campis Catalaunicis cladis, aut gloriae in aliis locis reportatae omnino non arbitretur participes, tametſi illi, ſeculi more, generali Gothorum nomine, non ſuo commemorantur. Nobis in praeſenti ſatis ſit, Venedos, vt foederatos Hunnorum, non Romani Caeſaris indulgentia, ſed bellicis occupationibus trans Iſtrum locatos conſpicere. Quis enim in poſſeſſionum earum ſocietatem Slauos plane nullos ab Attila admiſſos putet, etſi meliore fortuna opus erat, vt ſeſe vindicarent in libertatem. Poſt Attilae mortem Gothi, cum quibus ille tam concorditer vixerat, Hunnicum imperium fortiter detrectarunt, quorum rex tandem Theodoricus nouum in Italia regnum condidit. Per quae tempora pars Venedorum cum Oſtrogothis viciſſe, pars Hunnium impericum coluiſſe videtur: qui in Polonia, Vandalia, Bohemia, Morauia et Miſnia ſedes habebant, ob eductas frequentiſſimas colonias procul dubio ſparſim habitauerunt, et, cum alienam ſiue Hunnorum ſiue Thuringorum poteſtatem aut nunquam agnouiſſent, aut difficulter retinerentur, ſuos forte hic illic regulos habuere, dum

alii Nomadum inſtar in deſertis prope regionibus vagarentur. Ita conciliari poſſunt, quae apud bonos auctores de regibus ducibuſque Slauorum leguntur, cum narratione Conſtantini Porphyrogennetae de adminiſtr. imp. cap. 29. Slauos omnes hoc ſeculo Nomadibus accenſentis. Veriſſime Procopius eos non vni ſcribit viro parere. Nempe more plerorumque ſeptentrionalium populorum iudices conſtituebant per pagos vicoſque, et, vbi bellum pararent, duces. Nolim tamen in his Venedorum regulis connumerare Beugam et Babai, quorum arma poſt Attilae mortem inclaruere. Venedi enim, an Iazyges fuerint, non liquet. Sed cur Slauos Venedos partim Gothis, partim Hunnis, quanquam vtriſque non ſupra libertatem, hoc ſeculo paruiſſe ſtatuam, habeo cauſſas graves et multas. Scilicet ad Theodoricum Gothorum regem Noricum (quanquam hoc, vt inferius apparebit, a manentibus et perpetuis incolis eo tempore fere deſertum, et nunc his, nunc illis ſparſim aditum atque reuiſum;) et Dalmatiae Pannoniaeque potiſſima pars teſtimonio Caſſiodori pertinuit. Var. lib. I. ep. II. lib. III. ep. 50. lib. III. ep. 25. lib. V. ep. 24. lib. VI. ep. 24. Conſtat vero, hoc tempore has regiones permiſtos Gothis Venedos Slauos inhabitaſſe. Vidimus, quibus bellis, quibus pactionibus paſſim ingreſſi ſint, et ſec. poſt Chr. natum VII. potentem eorum regem in Norico Francum Samonem reperimus. Fregedar. in Chron. ad an. 630. Sed ſicut hos ipſos Norici accolas ante Samonis regnum eodem auctore Fredegario, cum quo omnes Francicorum annalium conditores conueniunt, Hunni imperio ſuo rexerant, et crudeliſſima dominatione vxorumque nefandis ſtupris ad deſperationem adegerant, vt ſatis pateat, ab interitu Gothici regni Hunnorum in his partibus poteſtatem

tem creuiſſe: ita etiam Auarum et Slauorum nondum adulto ſeculo V. et cum primum ſuperior Gothis Hunnica res eſſet, fuit tanta neceſſitudo, vt Slauos, Slauinos et Auaros pro eadem gente cenſeat Conſtantinus Porphyrogenneta de adminiſt. imp. cap. 29. adeoque Auarorum nomen, velut antea de Gothico vidimus, in Slauos etiam, auſpiciis eorum merentes, e quacunque tribu vel gente eſſent, tranſiret. Sunt, qui Abaros ab Auaribus Hunnis diſcretos vnice Slauonico nomine complectantur, et fateor me ipſum olim tenuiſſe eam opinionem, qui, quamcunque ſententiam eligamus, permultis illam difficultatibus premi plane intelligo. Videtur tamen res optime confici poſſe ſic, ſi Auares, Hunnicae originis populum, deductis variis coloniis, primas in Dalmatiam impreſſiones feciſſe, cum Porphyrogeneta ſtatuamus, nempe in partes Danubio proximas, nec longe a Salonis Diocletiani ſeceſſu celebribus, cum Slauis autem iam antea eas terras ingreſſis miſcuiſſe connubia, vt duae nationes quaſi in vnum populum coaleſcerent. Quod vt initio mutuis amicitiis et aequa animorum concordia factum, tandem ſumma impudentia per improbitatem et ſcelus obtinuerunt. Nam ſecundum ſcriptores Francos ante Samonis regnum in regione Slauorum hiemare ſoliti ſunt, neque furtiuis amoribus, ſed aperta vi horum vxores pro ſuis vſurpare. Falluntur, qui Auarum nomen ante Iuſtinianum in Dalmatia non auditum exiſtimant. Boiabarorum Iornandes non in rebus Iuſtiniani, ſed in bello Theodemiri Gothorum regis cum Sueuis, proxime poſt Attilae fata commemorat. cap. 55. Auctor hiſtoriae miſcellae XIV. p. 408. anno Theodoſii II. imp. XVI. qui eſt aerae noſtrae 424. cum Gepidibus Langobardos et Auares (ſcilicet Gepidarum nomen vtroſque innuit ante hoc tempus comple-

complexum esse,) villas, quae erant circa Singidonem et Sirmium, habitasse, testatur. Addit Doduellus, quem parua imminutione sententiae facta hic sequimur: hic tamen diu latuerunt, vt ne quidem gentis suae vel nomen vlterioribus victoriarum progressibus notum fecerint. Cuius silentii veras causas postea ptoferemus. Tum quidem, cum in Dalmatiam primum irruerent Slaui Abari, pulsos e Salonis colonos Romanos Ragusam condidisse refert Porphyrogenneta, anno antea, quam ipse illa commentaretur, quingentesimo, nempe anno aerae Christianae 449. Quae si vera sunt, incidit haec depulsio Romanorum in id tempus, quo Attila ingens bellum Illyrico inflixit, et, vt Marcellini Com. verbis vtar (ad an. 447.) pene totam Europam excisis inuasisque ciuitatibus atque castellis corrasit, victricibusque armis vsque ad Thermopolim infestus aduenit. Quod quidem bellum post Chersonensem pugnam promisso inter alias duras conditiones graui stipendio, (quemadmodum Romanos etiam Scythis et reliquis Barbaris, qui proximas imperii Romani regiones incolebant, quoad tributorum pensitationem paruisse Priscus ait) Theodosius II. vltimum ante fata sua composuit. Itaque multorum auctorum consensu Auares iam seculo V. in Europa mauortiis factis inclaruerunt, nec cum Slauis tantum, sed cum Boiis etiam, promiscua connubia habuere. Neque dubium est, Slauorum nomen Iustiniano antiquius et Auarum permistioni cum Vendis aequale esse. Equidem vt Borabarorum vocabulum compositum, ne in commistione Abarorum et Boiorum aut hi et illi quasi inaequalis conditionis haberentur, aut alterius nominis memoria deleretur, sic coniuncti Auares atque Venedi, aut qui ex promiscuis vtriusque populi nuptiis nati essent, gloriae causa Slauorum nomen

pro

pro communi gessisse videntur, donec flagitiis Auarum non istorum, qui ex Venedicis matrimoniis nati essent, sed illorum, quos quinto et sexto seculo, quasi tot noua examina, Asia mitteret, Slauorum in eos odia concitarentur, et Auarum nomen, nisi qua in Bauaris superest, a Slauonico tandem extingueretur. His perpensis manifestum fit, quo sensu nec Gothorum nec Hunnorum imperia in Slauos quidam concesserint. Vtrinque enim foedus magis conuenerat, quam subiectio. Quippe inuicta Venedorum libertas, quae demum sub Francis, Duringis, Saxonibus passim per Germaniam gemuit et fugit indignata sub vmbras, omne adstrictius et seruile imperium alienabat.

§. XVII.

Per has seculo V. procellas ac tempestates Venedi quoque in terras Langobardorum, Chamauorum, Cherufcorum, Batauorum, Saxonum, Anglorum, Verinorum et Sicambrorum (non cisrhenanas Burgundionum, qui eos ante id tempus in Polonia maiore, in Germania Hermunduros siue Thuringos, successores habuere) Honorii, Theodosii II. et Valentiniani III. temporibus sparsim, nec tum quidem propriis ducibus, sed sub alienis, vt postea apparebit, Herulorum, Varnorum, Thuringorum imperiis, at sexto deinceps seculo cum regia potestate et numerosa multitudine intrarunt. Quo fit, vt eorum reliquiae et vestigia ad hunc vsque diem reperiantur, et nominatim Sicambros aliqui non indocti scriptores prodant non Germanico sed Sarmatico sanguine satos. Id quidem melius explicari non potest, quam si Sicambrorum reliquias in Germania Venedis paruisse et mistis indigenarum nouorumque colonorum connubiis euenisse dicamus, vt, qui nati essent, modo a nouis colonis Venedi, modo a veteribus Sicambri compel-

larentur. Saxonibus et parti eorum Anglis in hodiernam Angliam traiicientibus Venedos fucceffiffe, viri docti confentiunt. In vetufto Verinorum agro, nempe hodierna Megapoli, celebre regnum Obotritorum diutiffime floruit. Langobardos in Pannonia vidimus, in quam pars populi per belli Marcomannici occafionem intrauerat, pars feculo V. ad Danubium haerens fequebatur fec. VI. et cum fine dubio Herulos agmina Venedorum aliqua iam exceperant, quid mirum, vicinas terras, fi verum eft, Marchiam mediam olim in poteftate Langobardorum fuiffe, ab iifdem pofthac Venedis inundatas effe. Secundum Claudian. in Panegyr. de IV. Confulatu Honorii,

— — ingentes Albim liquere Cherufci,

inter quam et Vifurgim inhabitauerunt, vbi antiquitatum Slavicarum periti hodieque exftantiora veftigia Venedicae dominationis deprehendunt. Per tractum, quem Chamaui incoluerunt, quorum vel nomen videtur Venedicum effe, Aegidius Bucherius fcribit in Belg. Rom. l. X. cap. 9. §. 6. Comitatum Marcae totum, confines vrbes aliquot ad Rhenum a Bergenfi Cliuenfique Ducatibus, a Duffeldorpio fere Vefaliam vfque non procul a Batauiae infulae capite porrigi. Superat adhuc hodie opidum Camen et non longe ab eo diftans vrbs Hammona, quae de eorum fede teftantur. Cluuer. G. A. lib. III. cap. 13. 14. Hertius Not. veter. German. popul. P. II. cap. II. §. 10. Impreffiones ipforum in Veftfaliam apud optimos auctores confeffam confirmatamque reperio, e quibus Ioh. Neuwaldum, qui doctum de antiquis Weftphaliae colonis librum Ofnabrugi an. 1678. publicauit, nominaffe fufficiat. Quae initio tum his, tum aliis in Germaniae partibus Venedorum et Saxonum concordia fuerit, quae Venedici nominis dignitas et potentia, oftendit inprimis Iacobus Eyndius in Chron. Zelandiae,

diae, p. 126. ſq. adductis laudatiſque verſiculis ex Chronico Rhytmico annos, vt ait, antea, quam ipſe ſcribebat, (ſcripſit autem an. 1634.) fere trecentos Hollandica lingua, multa tamen Saxoniſmi veſtigia retinente, compoſito, quibus auctor Saxones in Viltorum nomen transiiſſe, plane vt de Gothis et Auaribus conſtat, innuerit. Et is ipſe Eyndius, et ante eum Iohannes de Beca Canon. Vltraiectinus in Chron. ad an. 1345. continuato, Gulielmus Heda, Praepoſ. Arnhemenſis, in hiſt. a Suffrido Petri cum app. ad an. 1574. publicata, Ioh. Gerbrandus a Leida, Renerus Snoius, Vralius aliique permulti Viltorum antiqua domicilia in Batauia docuerunt. His quidem praeter alios Altingius, caeteroquin non ignobilis auctor in deſcript. agri Bataui et Friſii, quae prodiit an. 1690. contradicere haud idoneis de cauſis ſuſtinuit, quicquid de Slauis et Viltis Rheni Moſaeque accolis et tot vrbium arciumque conditoribus proferatur, meram fabulam reputans, Viltam etiam, celebre olim ad oſtia Moſae emporium a Nortmannis incenſum haud credens a Viltis ſeu Velatabis nomen traxiſſe, ſed quicquid apud Sigebert. Gemblacenſ. ad an. 837. reperiatur, Vitham, quod Annales Francorum, vel VVitham, quod Fuldenſes haberent, reponens. Ipſum VViltoburgum, (quis credat?) veterem ſine dubio Viltonum aut Velataborum regiam ex hiſtoria Vilticae gentis proſcripſit. Cf. Alting. l. l. p. 205. et 207. Verum non intellexit Altingius linguam Slauicam, cuius ſi peritia non defuiſſet, longe aliter ſenſurus. Non vnum Vendici nominis in Hollandia veſtigium eſt: permulta ex Altingii chartis geographicis verba Slauica opido oſtendemus. In parte prima habetur Slota, Eula, Holtreka, Hunna, Horna, Horſta, Hoſte, Hudna, Hudnin, Hunep, Huneſa, Huneſus,

ſus, Hunesge Silo-verdia, Huſdengum, Huſſi-dina, Huſſen, Suindrech, Suinum: in altera parte Wendeldyk, Hudna, Walaeharia, Wiſpe, Weſpe, Zwola, Wideniz, Wiltaburg, Wiltenburg, Sueta, Wilta rel. Inter haec etiam praeſtantiſſimorum Belgarum Slauica nomina mihi obueniunt, vt Tetae, Suederi, Snoi, quae merum ſermonem Slauicum ſentiunt. Teta enim affinem, Sueder terebrum, Snoi calorem ſignificat. His tot nominibus Slauicis niſi etiam obſtinatiſſimus aduerſarius linguae Slauicae non omnino ignarus de antiquis Viltorum ſedibus in Batauia conuincatur, neceſſe eſt, vt Batauos ipſos non pro Germanis, ſed Venedis et Viltis habeat. Pro qua forte ſententia, vt pro communibus Gothorum, Burgundionum Venedorumque originibus, multa non inania dici poſſent. Ignoſceremus Altingio, ſi, quod non nulli alii faciunt, non ſtabiles quidem ſedes, ſed breuem ob Friſiorum Francorumque arma in Batauia moram, ſi nec hanc ex Illyrico a Danubio ad oſtia Rheni, ſed ab Albi per inferiorem Saxoniam venientibus VVelatabis conceſſiſſet. Ingredi eos Hollandiam incaſſum prohibuit. Nec cum de VViltorum, VVilcorum, VViltzorum ſiue VVelataborum agro et finibus ſcripſit, magnitudinem huius nominis per ſe magni; (VVeliki enim Ruſſis Slauis hodieque magnum eſt, vt in Nouogrod VVeliki, Nouogardia magna; Francis, qui hoc nomen VViltis ab Albi ſiue Velatabis propriam fecerunt, VVilk virum fortem vel victorem ſignificat) non quouſque id fuerit Francorum omnium fide, Adamique Bremenſis et Helmoldi teſtimonio per Germaniam late extenſum, perpenſitauit. Omnes ex Illyrico populi, quotquot adibant orientem Danubium, etiam Rhenum petiiſſe, idoneis teſtimoniis conſtat. Finitimi Hollandorum Veſtfali Viltorum in terris ſuis veſtigia monſtrant.

ſtrant. Pomeraniam, et partem Holſatiae Venedi tenuerunt. Luneburgum ſine dubio condiderunt. De Saxonum migrationibus, quae potentibus Slauis partem agrorum aut vacuam facerent, aut eos ad vincendum, ſi poſſent, reliquias inuitarent, auctores omnes conueniunt. Nuſpiam procul erat Batauia, nomina vrbium virorumque Hollandorum magnam partem Venedica ſunt, et tamen Venedos in Hollandia viſos Altingius neget! Sed, quia, qui hodie cum Altingio faciunt, cum tempore eſſe non poſſint, affectata ſaltem in his rebus caecitate atque obſtinatione aequales ſunt, hos Batauorum in Valentis exercitu ducisque Victoris Sarmatae, hos Maximi ex Britannia Belgicam aduecti ad oſtia Rheni, ab immaniſſimis quoque Germanorum gentibus tributa ac ſtipendia ſolo terrore nominis exigentis, (Oroſ. lib. VII. c. 33.) cui omnes Scythicae nationes tantis examinibus confluebant, cui Gothus ille et Hunnus (complexi illi Viltum et Venedum) et Alanus parebant ad nomen, alternabantque excubias, hos denique Thuringorum, quorum toties nomine Venedicum ſecula migrationum complexa ſunt, memores eſſe iubeo, quorum de gentibus Batauinis victorias in Attilae bello Gallico memoratas legant apud Eugippium in Vit. S. Seuerini cap. 27. Praeter ea perpendant Contin. Fredegarii verba: (cap. 117.) Eodem anno (nempe 748.) Saxones more conſueto fidem, quam germano ſuo promiſerant, mentiri conati ſunt. Qua de cauſa adunato exercitu ad eos peruenire compulſus eſt. Cui etiam reges Vinidorum ſeu Friſionum ad auxiliandum vno animo conuenerunt. At Annales Metenſes ad an. 748. Vinidorum tantum, Friſionum non meminere. En verba: Fines Saxonum, quos Nordo-Squauos vocant, cum valida manu intrauit. Ibique duces gentis aſperae Siauorum in occurſum eius

 venerunt,

venerunt, vnanimiter illi auxilium contra Saxones ferre parati. Pugnatores quaſi centum millia. Saxones vero, qui Nordo-Squaui vocantur, ſub ſuam ditionem ſubactos contritoſque ſubegit. Quodſi igitur ſola Slauorum ope hoc contra Saxones bellum confectum eſt, et tamen Continuator Fredegarii, aequalis ſcriptor, Saxonum ſeu Friſionum commeminit, quid de Altingii ſententia ſtatuendum ſit, liquet.

§. XVIII.

Quamuis vero haec Attilae aetas, atque is migrantium furor, qui ab initio ſeculi quinti omnes fere Europae, Aſiae atque Africae populos in mutua bella conuertit omniumque regionum colonos et linguas mutauit, Lecho etiam et Zecho, illuſtriſſimis fratribus arma contra Polonos atque Bohemos miniſtrauiſſe videatur, virique eruditi quam plurimi in ea opinione conſtantiſſime perſeuerent, conſideratis tamen omnibus rei momentis ac rationibus ego quidem nunquam adducar, vt inſignes Venedorum colonias vel in Bohemiam vel Poloniam, nedum ipſum Lechum et Zechum hoc quinto ſeculo adueniſſe exiſtimem. Cuius meae ſententiae non probabiles tantum cauſas afferam, ſed, niſi fallit animus, tales, quales vel inuitum lectorem ad aſſentiendum cogant. Initio ſeculi V. quicquid fuit ſeptentrionalium populorum, iter verſus meridiem atque Occidentem direxit. Alii Galliam atque Hiſpanias, traiectoque freto Herculeo etiam Africam, alii Pannonias, Illyricum, Iſtriam, Italiam petiere. Quodſi nulli ante id tempus Venedi in Bohemia et Morauia conſediſſent, adueniſſe tum temporis primos e Polonia Sorabos forte concedi poſſet. Sed inde a Marcomannorum Quadorumque egreſſu Sileſiam, Luſatiam, Bohemiam Venedicis coloniis repleta fuiſſe omnes conſentiunt, quemadmodum

modum Vandalis et Gothis in antiqua Vandalia Venedi dudum ſucceſſerant. Cur igitur eos ſolos patriae dulcedine captos, nec quinto ſeculo de progreſſionibus cogitaſſe, nec aut Gallias aut Illyricum aut certe vlteriores Germaniae regiones, adeo deſertas ab incolis, intraviſſe credamus. Cur contra veterum auctorum fidem migrationem eorum in Illyricum e Bohemia factam negemus. Vin' vt auctores commemorem? Inſtar omnium eſto Conſtantinus Porphyrogenneta, auguſtus ſcriptor, qui ex pulcerrimo imperii inſtrumento rem cognoſcere potuit. Sciendum eſt, inquit, Seruios oriundos eſſe a Seruiis non baptizatis, qui etiam albi cognominantur, et vlteriora Turciae incolunt, in loco ab illis Boici nuncupato, cui finitima Francia eſt, vti et magna Chrobatia baptiſmi expers, quae etiam alba cognominatur. Illic igitur initio Seruii hi habitabant. Them. P. II. cap. 32. Omitto coniecturam ex nomine Alborum de Slauici nominis etymologia naſcentem, ne videar communes opiniones velle citra neceſſitatem conuellere. Verum id omnes agnoſcunt, Conſtantinum Slauos Illyricos arceſſere ex antiqua terra Boiorum Bohemia. Aut igitur imperatorem teſtes atque imperii inſtrumenta, aut, qui Bohemos Slauos, inter caeterorum populorum migrationes, vnos ſolos quieuiſſe contendunt, eos ſuauia per noctem ſomnia fefellerunt. Quicquid etiam de fide Porphyrogennetae interdum vacillante proponitur, ad definitas temporum notas, quae in tanta rerum omnium perturbatione non ſatis curate indagari potuerunt, non ad res ipſas ore omnium hominum celebratas atque ad aures imperatorum per publicos nuncios ſaepe perlatas, perque ipſos e quoque populo viros principes, toties Conſtantinopoli viſos, narratas pertinet. Eodem Thematum lib. I. II. cap.

cap. 31. idem imperator ait: Chrobati, qui Dalmatiae partes nunc inhabitant, a Chrobatis, qui et albi appellantur, originem ducunt, qui sane vltra Turciam prope Franciam incolunt et Slauis contermini sunt non baptizatis Seruiis: atque hi ipsi Chrobati ad Romanorum imperatorem Heraclium confugerant, antequam Seruii confugissent ad eundem. Pulsis vero Romanis illis ab Auaribus tempore eiusdem imperatoris Heraclii desolata eorum regio iacuit. Heic circumspectum vides imperatorem, non certo asserentem Chrobatos e locis Franciae finitimis, vbi tum pars populi habitabat, in Illyricum advenisse, sed alias tantum eorum sedes vltra Turciam proferentem. Cum his conuenit auctor historiae miscellae, notantis anno Heraclii II. Christi 612. Europam Auares, (nempe nouum Auarum ingruentium agmen) desertam reddidisse. Et tum quidem Chrobatos in fidem imperii Dalmatiamque receptos, postea in Auaros foedera pacis an. 626, multis notis sat certis in Chronico Paschali designato, rumpentes ab ipso Heraclio more veterum Augustorum sollicitatos esse, omnium aequalium auctorum consensione firmatur. Vnde non exigua lux affulget narrationibus Fredegarii aliorumque Francorum in gestis Dagoberti de Auarum in eo aeuo ante regnum Samonis immani in Slauos saeuitia. Non ego repugnabo, si quis etiam Chrobatos ante expeditionem in Illyricum in Germania consedisse statuat, cum mihi multas Venedorum gentes iam seculo aerae nostrae III. Teutonicam terram passim coluisse persuasum sit; tametsi pronior sum in eorum opinionem, quibus illi e Polonia in Pannonias vel Attilae vel Gothorum auspiciis primos impetus fecisse existimantur. Nam pro instituti ratione satis est, Seruios e Bohemia oriundos videre, Venedorum igitur Bohemorum

rum

rum ſeculo quarto in Illyricum migrationem cognoſcere. Quibus ducibus aut regulis, peregrinis, an domeſticis ea res geſta ſit non inquiram. Quod Langobardi et alii fecerunt, vt qui in Germania remanſiſſent, interiecto temporis intervallo populares exteros ſequerentur, id etiam Venedos ſueviſſe prope verum puto. Itaque Serbi Bohemi procul dubio mouerunt in Dalmatiam, atque Iſtrum forte in Norico traiecerunt. Poſſunt tamen in campis Catalaunicis militaſſe et deinde demum iter per Noricum, per Pannonias, aut qua alia via ducere libet, in Illyricum iter feciſſe. In Miſniam atque Bohemiam aut nullos aut pauciſſimos confeſtim ex Gallia rediiſſe, certo indicio approbatur. Attilam in Thuringia viſum eſſe, abſque auctore aſſeritur. Sed poſt pugnam eius Cannenſem Gothi Thuringi celebre in Germania regnum condiderunt, per quod, teſte Geographo Ravennate l. IV. c. 25. tranſiere plurima flumina, inter caetera, quae dicuntur Bac et Rheganum, quae in Danubio merguntur. Iidem circa eadem tempora in Noricum atque Rhaetiam irrupere. Eugippius vit. S. Seuerini c. 27. In vniuerſum apparet, praeter hodiernam Thuringiam, Haſſiam quoque, Franconiam, et Saxoniae, Bohemiae Miſniaeque ſine dubio partem permagnam Thuringorum regibus ſubfuiſſe. cf. Caſp. Sagittarii Antiquit. regni Thuring. l. II. c. 5. Maſcou. Hiſt. Germ. l. IX. §. 30. et l. XI. §. 47. Gothos Venedorum victores ideo Venedis valde exoſos vidimus. Quodſi vterque et Thuringicus et Venedicus populus, in Thuringiam ille, hic in Bohemiam ex campis Catalaunicis vno tempore redierunt, qui fieri potuiſſe oſtendas, vt de finibus deque plena Venedorum libertate in condendo regno Bohemico conueniret? Si ex Illyrico in has terras reuerſi ſunt, potuerunt diuerſis viis

intrasse. Concedo. Sed cum tanta sit Thuringici nominis claritas, nec minor vnquam Venedorum virtus extiterit, qua, quaeso, diuina vi, quo pacto, quibus legibus euenire per Deum perue homines potuit, vt de Venedico regno in Bohemia, deque eius vel bellis vel pace vel foederibus cum Thuringo iidem annales sileant, qui regni Thuringici potentiam, bella, victorias, clades, interitum memorauere. Clodoueus an. 491. Thuringiam vastat, regesque eius Francorum tributarios facit. Gest. reg. Franc. c. 10. Gregor. Turon. l. 2. c. 28. Iterum Theodoricus Austrasiae rex cum fratre Clotario in eosdem Thuringos proficiscitur et ad Onestrudem fluuium vsque peruenit. Armantur vtrinque, quot quisque potuit in auxilium ducere, ingentes exercitus. Fit tanta ex Thuringis caedes, vt alueus fluminis cadauerum congerie repleatur, et Franci tanquam per pontem super ea in littus alterius transeant. Quis credat finitimos Venedos, si eorum aliquod nomen, si quae copiae viresque fuissent, nec in Thuringorum nec in Francorum in tanto sui vt vicinorum periculo societatem venturos? Occiditur Hermanfridus: fugit Amalaberga cum liberis: potentissimum regnum deletur atque exciditur, et apud Gregorium Turonensem, qui haec omnia diligenter litteris consignauit, l. III. c. 7. de Venedorum alterutri parti latis auxiliis ne verbulum quidem.

§. XIX.

Aut ego nihil video, aut in hoc silentio manifestum indicium est desertae Bohemiae atque Norici, Venedicarumque reliquiarum, quae propter paucitatem et impotentiam nullius momenti atque nominis essent. Et in omni-

omnibus regionibus, vnde noua migrantium examina euolaſſent, imbelles pauidaſque reliquias manſiſſe, hiſtoria et ratio docet. Verum ne haec omnia ſine auctore tradantur, age, contemplemur earum terrarum faciem, quas Lecho diuina potentia deſtinauerat. Qui Taciti tempore ſuccinum in Baltico mari collegerant, Aeſtii poſt antiqui ad Moeotida Gothici regni interitum, Gothiſque victoribus, Vandalis atque Venedis, Hunnorum auſpicio, ab iſto terrarum tractu egreſſis, Theodorico Oſtrogothorum in Italia regi idem per legatos ex eiuſdem Oceani littoribus afferunt. Caſſiodor. l. V. ep. 2. Nullorum in ea legatione Venedorum memoria, cum Caroli M. tempore incolentes ad littus auſtrale primarii Slaui et ſecundum hos tantum Aeſtii et aliae diuerſae nationes ab Eginhardo commemorantur. Vit. Carol. M. c. 12. Quid multa? Dum Odoacer nouum in Italia regnum condit, et anno aerae Chriſtianae 487. Rugos prope Noricum accolentes per fratrem Arnulphum interimit, omnes in Norico Romani in Italiam migrare iubentur, (Eugipp. in Vit. S. Seuerini c. 45.) adeoque totam prouinciam et ciue et milite deſolatam videmus. Per eandem poſtea Langobardi in Pannonias tranſitum faciunt, vbi anno 527. aduenerunt. Florente Oſtrogothorum in Italia regno Herulos et Varnos ad Baltici maris oram habemus. Illorum regnum initio ſeculi VI. ſiue a Danis ſiue a Langobardis euertitur; niſi etiam amborum vires in eo excidendo valuerunt, forte quod pulſi a Danis Heruli cum Langobardorum multitudine fruſtra de nouis ſedibus certauere. Procop. de B. G. p. 421. Iornand. de reb. Get. c. 3. Nec Varnorum nomen vltra Childebertum Auſtraſiae regem durauit. Mox ſeculo poſt Chriſtum natum

VII. potentiſſimum in Norico regnum Slauorum et acre Samonis bellum cum Francis ſub Dagoberto occurrit. Pipino contra Saxones Nordoſquauos octauo ſeculo auxilia praeſtant reges Vendorum ſeu Friſionum conf. Freder. cap. 117. Annal. Metenſ. et Fuld. ad. an. 748. Carolus M. cum Bohemorum rege Leſcone congreditur. Eginhard in Vit. Carol. M. Tanta omnium rerum et nominum centum annorum interuallo proximoque deinceps ſeculo in Germania facta mutatio.

§. XX.

Occidit Hermanafridus Thuringorum rex intra annum 524. et 531. Non enim certioribus notis belli et mortis tempus deſignari poteſt. Henr. Valeſ. Rer. Franc. l. VII. p. 361. Hertius Not. popul. Germ. P. III. c. 4. §. 4. Interea Langobardi in Pannonias penetrant: deſtruitur Gepidicum regnum: mox noua Auarum agmina in prouincias tranſiſtranas aeque tendentium aduolant, Gepideſque, vt laudatus auctor hiſtoriae miſcellae habet, in Langobardos et Auares diuiduntur. Deinde Romanus exercitus contra Gothos in Italiam ducitur: per pacta, per fraudes, per caedes, vnde belli materia ducta, florentiſſimum tandem regnum a. 548. penitus a Iuſtiniano exciditur. In Illyrico autem, Chilbudio interemto, quem ſolum antea formidauerant Venedi atque Auares Iſtro traiecto omnia vaſtant. Auares in alios barbaros donis et ſtipendiis conducit Iuſtinianus. Creſcit Langobardorum potentia, quae atque Auarum vis Slauos Venedos, vt horum viciſſim illos, ad perfringendum imperii Romani limitem atque omnia audendum dubio procul perpulerat.

pulerat. Qui enim transdanubiana Dalmatia potuit tot populosissimas gentes vna complecti? Principes Dalmatiae, Slauos puta, a Gothica dominatione liberatos se vident. Vident Gothorum in Germania regnum per Francos excisum, Francos ipsos Italiae imminentes: sibi domum per Noricum in Bohemiam, per Bohemiam ad Australe littus redituris nihil obstare comperiunt. Desperant de regno Illyrici aut Italiae consequendo: oderunt Langobardorum Auarumque imperia. Neminem tandem ex regum Thuringorum familia superesse, Hermanafridi filium Amalafridum, in quo Thuringi spem collocassent, quem Iustinianus ad metum Francorum prouexisset, cum filio Artachi periisse accipiunt, nisi etiam plerasque in Amala gente caedes ad libertatem a Gothis tum Italiae tum Thuringiae regibus asserendam, quod sinit vetus traditio de Lechi et Zechi parricidio suspicari, ipsi procuravere. Iam nouae coloniae Zechus in Bohemiam, Lechus in Poloniam ducendae (quanquam haec forte in ipsis demum vtriusque regni finibus facta fraternorum imperiorum diuisio) opportunitatem vsurpant. Etenim cum primum in Norico haerent, ab Auaribus, quorum ad Samonem vsque id regnum fuit, deiiciuntur. Inde noua Venedorum gentilium (nam ante seculum VII. ante Heraclii orientale imperium hi Sorbi ex Illyrico in auitum solum redierant) in Polonia et Bohemia multitudo atque indies crescens potentia, sub qua etiam nomina Varnorum atque Aestiorum occubuere, per caedes Thuringorum regum atque Ostrogothorum parata: inde noua regna proximis seculis per arma Francorum cognita. Quod si verum est, ea quae diximus

mus in Thuringia, Illyrico, Italia Iuſtiniani tempore ita geſta eſſe; nihil autem aſſeruimus, niſi quod Francorum ſcriptorum teſtimoniis partim probatum eſt, partim notioribus, quam, vt excitari debuerint, Procopii et aequalium narrationibus confirmatur: deinde ſi nouae Venedorum coloniae hac ſeculi ſexti periodo ex Illyrico in Bohemiam et Poloniam certiſſime ductae ſunt, ad quod ſtatuendum naturalis ratio ob nouam Venedorum in Bohemo atque Oceano potentiam, hoc tempore ortam, et conſtans antecedentium proximeque ſequentium rerum hiſtoria non ducit, ſed cogit: quid ſupereſt tandem, Dobnere, quod ſola antiquae traditionis fide et Dalemili auctoritate nitatur? Nempe nomina ducum, Lechi et Zechi. Haec qui nec famae nec perennibus populorum nominibus credat, miſellam eius inuidiam depugnare indignor.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
LECHO ET SLAVORUM
ORIGINE

VIDEO MELIORA, PROBOQVE

DISSERTATIO
DE
LECHO ET SLAVORVM
ORIGINE

Cum origines gentium Slauicarum, vel, quod idem est, Venedarum multo antiquiores, illustrioresque, quam vulgo habentur, mihi videantur; operae me pretium facturum puto, si de Lecho, Slauorum duce, dicturus, quae certiora de his gentibus, in antiquis scriptorum monumentis occurrunt; quae natio Venedorum, nomen Slauorum, et vnde illud adepta sit, breuibus praemitterem; ex his facem quasi accensurus, qua, quae obscuriora sunt his in rebus, antiquitatis squalore, tanquam nocte, conditis, illustrem, atque illuminem.

§. I.

Slauos a Venedis originem habuisse suam, nemo est, qui dubitet. Venedos autem cum Graecorum Enetis eandem gentem fuisse, fere inter omnes etiam constat.

Antiquissima Enetorum memoria apud Homerum fit, cum de Paphlagonibus loquens, ait:

Ex Enetis multi ducunt genus vnde feroces.

Nomen illud Enetorum Io. Bodinus, et Melanchthon e lingua hebraea deducunt. Verba Bodini sunt in Methodo

 Hist.

Hist. L. IX. Eneti Hebraeis vagabundi, Graecis Nomades, appellantur: id quod moribus huius gentis posteriore etiam aetate non repugnat. De his variae apud priscos fuerunt sententiae. Sunt, qui Venedorum Adriam accolentium originem inde deducunt; sunt, qui hoc impugnant. Hos tamen in Paphlagonia Enetos iam olim defecisse, testatur Strabo L. XII. p. 522.

Enetorum, post Homerum, meminit Herodotus. L. I. his verbis: „Quam legem audio apud Enetos (seu mauis „Venedos) qui Illyricum habitant, in vsu etiam esse.“ Hac igitur iam aetate Venedi, Slauorum proaui, in Illyrico optimis legibus vtebantur; et C. Sylla in Graecia haerens, dum responsum Mithridatis expectat, interim contra Venedos expeditionem suscepit: teste Appiano.

Occurrit gens Venedorum, Galliam incolens, apud Caesarem L. 3. Comment. de quibus vid. Glareanus.

De Venedis autem Adriam accolentibus, haec tradit Strabo. L. IV. p. 203. „De Venedis duplex sermo est; „quidam eos a Gallis, eiusdem denominationis, quidam „a Venetis, qui cum Antenore e Paphlagonia venerunt, „descendisse putant.“ Strabo tamen p. 186. priori sententiae calculum suum adiicit, eosque p. 207. Polam vsque ad fines Rhaetorum, omnem regionem transpadanam habitasse affirmat; quos etiam Scymnus Chius ait centum pagos habitare. v. Geogr. Gr. Minores.

Hos Venedos a Gallis lingua differre, ait Polybius L. II. neque vero Germanis eos accenseri posse, non minus, quam vicinas Rhaetorum, Vindelicorumque gentes, liquet ex C. Tacito, qui nullam eorum mentionem facit in libro, quem de moribus Germanorum conscripsit; et Germaniam Danubio finiri multis locis affirmat. Cuiusnam igitur originis, cuiusque linguae gentes eae fuerunt,

qui

qui Transdanubianas regiones incoluerunt? Hoc vt eruamus, praemittendum est, quod inter omnes constat, Venedos a priscis scriptoribus, sub generaliori Sarmatarum nomine saepe fuisse comprehensos. Sarmatae enim in varias gentes diuisi, variis nominibus, Graecis, Romanisque minus notis, insigniebantur.

§. II.

Illyricum autem, aut certe magnam eius partem antiquissimis temporibus Sarmatas tenuisse testatur Strabo L. XI. p. 487. his verbis: „Graeci scriptores, vniuersos „olim Septentrionales, Scythas vocauerunt; qui vero „prius eos distinxere, istos, qui supra Euxinum, et Istrum, „et Adriam habitant, Hyperboreos, et Sarmatas, et „Arimaspos vocauerunt." Ea igitur aetate Sarmatae ab Euxino ad Adriam vsque imperitabant; hoc est isti Venedi Illyricum habitantes Sarmaticis gentibus annumerabantur, quia eorum sermone vtebantur.

Ostendunt hoc inprimis gentium locorumque nomina, Sarmaticam, vel strictius, Venedicam originem indicantia. Quid enim quaeso, Vindelici aliud significant, quam Venedos Lechos, siue hoc a nomine quodam proprio, quod suspicor, siue a fluminibus, Vindo, Licoque, tractum sit, de quibus Venantius Fortunatus ad B. Martinum L. IV. cecinit:

Pergis ad Augustam, quam Vindo Licusque fluentat.

nam et hic interrogem, quis fluminibus nomina imposuerit Venedica? Transeamus ad alia exempla. Vrbs Padua ipsa eiusdem linguae est; nam hodierno etiam Slauico sermone, Padwa, ostium fluuii significat. Quid vrbs Vindonissa, quid Vindobona? quid Vennones, ferocissima, teste Strabone, harum nationum gens?

Erant eo tempore Iapodes, eorumque vrbs Vendum. Nonne haec omnia Venedicam originem in istis regionibus satis declarant? Apud Dalmatas emporium fuit, Salo, dictum, quod et nunc apud has gentes vicum significat, quanquam illud potius Selo, quam Salo pronuncient. Fuit praeterea Dalmatarum vrbs, testante haec omnia Strabone, satis ampla, Delminium, et mons Ganus. Cum Venedi Misniam obtinerent, inter eorum pagos, teste Ditmaro, celeberrimus fuit pagus Delminzi, in quo comprehensus fuit mons, vel potius cliuus, etiam Ganus dictus, supersuntque hodie vici, Delmzsch, et Gane dicti, non adeo longe ab oppido Lomazsh distantes.

Locus inprimis apud Liuium L. 44. C. 26. in Paeonia situs occurrit, Bylazora dictus; qui sine vllo dubio Venedicae originis est, idemque significat, quod Belgora Misniae, ad Albim situm oppidulum, nempe montem album, vel etiam lacum album.

Plures eiusmodi vicos, oppida, castella, sermonem Venedicum, qui antiquissimis temporibus ibi in vsu fuit, declarantia, collegit Orbini. Ex quo sequitur gentes istas Illyricas Venedicae originis fuisse, siue cum Antenore eo fuerint delatae, vti Rom. et Graeci scriptores tradunt, siue alio casu, de quo nihil constat, eo fuerint deductae. Nemo dubitaret, Venedos Misniam incoluisse, etiamsi historiae nihil de iis traderent, tot extantibus eorum monumentis, in nominibus vicorum, vrbium, et castellorum.

Ex allatis, nisi fallor, satis clare patet, priscis temporibus, Venedos, vel si mauis Sarmatas, omne Illyricum ab Adria, vsque in Macedoniam tenuisse, cum eorum vestigia in his regionibus vbique fere impressa inueniamus. His autem mihi accensendi etiam videntur Rhaeti

Vinde-

Vindelicique. Si enim Galli, ſi Italici, ſi Germanici generis non fuerunt, cuius, niſi Venedici, eos fuiſſe putemus, cum primaria eorum vrbs, cum flumina, quae accolebant, ſermonem Venedicum oſtendant. De Rhaetis quidem Liuius ait, eos Thuſcis originem debere, ſed hoc tam dubitanter dicit, vt potius, quid verum ſit, ſe ignorare fateatur.

De Vindelicis autem Strabo p. 198. narrat, eos Heluetiorum, Boiorum, Germanorumque terras, quauis data occaſione, incurſaſſe. Proximi autem Germanorum cum eſſent Nemetes; hinc ortum coniicio, vt Germani vulgo a Venedis Nemetzi dicerentur; quam Germanorum appellationem, hi, priſcis ſedibus relictis, in nouas ſecum, atque adeo Conſtantinopolin ipſam aſportauerunt. „Sic enim Zonaras T. III. p. 223. Cum ob Nemitzorum „quoſdam, propter facinora ſeuerius multatos, legio de„feciſſet.“ Eademque appellatio ſaepius apud hunc ſcriptorem occurrit.

Nunc quibus hae Illyrici gentes, Vindelici etiam Rhaetique, obnoxiae fuerint mutationibus, dicendum eſt. Nam, cum depulſae priſcis ſuis ſedibus fuerint, ſi veſtigia earum legamus, forſitan in aliis eas locis deprehendemus, vbi de earum ſermone et origine non amplius dubitabimus.

§. III.

Quae bella Romani aduerſus Theucam Illyriorum, id eſt, Venedorum reginam, contraque Gentium geſſerint, notiora ſunt, quam vt hic commemorentur. Multo autem grauius, difficiliuſque certamen fuit Romanis, cum Rhaetis, Vindeliciſque. Hae enim gentes natura ferociſſimae, locorum firmiſſimo ſitu defenſae, et externi iugi, quod nunc etiam faciunt, impatientiſſimae, non ſo-

lum in tanta Italiae propinquitate, Romanis diutissime restiterant, sed saepe etiam damna eis intulerant maxima. De his enim Strabo L. IV. p. 197. Ed. Basil. „Ad haec „vsque tempora, nunc impugnati, nunc soluto bello Ro„manis conciliati, potentes tamen erant: quippe a qui„bus D. Brutus a Mutina fugiens, data viritim drachma „se redemerit; Messalla lignandi veniam pretio redemit; „hi quoque mortales Caesaris pecunias diripuerunt. Tan„dem autem impudentissimas eorum incursationes repres„sit Tiberius, et eius frater Drusus."

De Iapodibus autem eiusdem nationis, tradit idem scriptor: „Iapodes florentes virorum robore, et vtroque „ex montis latere domicilia habentes, ab Augusto tandem „Caesare, summo cum labore, debellati sunt."

Omnes enim imperii vires Augustus contra has gentes concitauerat, quae, ducibus nepotibus suis, tandem aliquando, eorum ferociam viresque frangerent, finesque hac a parte imperii in tuto collocarent. Quas Augusti victorias Horatius etiam suis carminibus celebrauit. L. IV. Ode 14.

maxime principum,
Quem legis expertes Latinae,
Vindelici didicere nuper
Quid Marte posses? — —
immanesque Rhaetos
Auspiciis pepulit secundis;

Victas igitur has inalpinas gentes ab Augusto esse, fatemur; sed ecquid funditus deletas, aut sub Romanorum iugum missas? — minime vero. Sed quo Germani saepe contra Romanos auxilio vsi sunt, hoc et Rhaetos tum nostros, Vindelicosque vsos fuisse, credibile est. Nimi rum quicunque libertatis amantes, generosiores spiritus alebant,

alebant, et mortem feruitute praeoptarent, in interiora Germaniae refugerunt. Commodum aderat gens Venedorum confanguinea Iazyges. De quibus Strabo L. VII. p. 296. ita memorat: „poft quos Sarmatae, cognomento Iazyges; hos vtramque Iftri ripam incolere faepe traditur."

Quidnam autem hoc cognomenti eft, Iazyges? — Dicam, quod fentio. Qui primus Romanorum Teutonem interrogauit obuium: quis tu? — ille refpondit: Germann. h. e. miles fum, et hac ratione Germanorum appellationem, non a Gallorum germanis fratribus, ortam effe, iam nullus dubitat. Hoc et his Sarmatis accidiffe, vero fimile eft. Qui enim primus Graecorum huius gentis mortalem interrogauit: quis tu? ille fermone fuo. Ia Zech, refpondit, id eft, Ego Zechus, ex quo Graecia Iazyges formauit, cum Zechos tantummodo dicere debuiffet, quia particula, Ia, Slauonice, ego, fignificat.

Qui acutiffime vident, et fermonis Slauici gnari funt, nomen gentis huius a verbo Slauico, Iazy, et eius diminutiuo Iazyki, quod hamum fignificat, deriuant. Sed liceat mihi fententiam meam tueri, quae optime rebus geftis, et harum gentium hiftoriae congruit, nempe Zechos gentem praepotentem, iam eo tempore in vicinia Bohemiae fuiffe.

At, inquit aliquis, meris hoc facis coniecturis. Sunt quidem, fateor; fed probabiliores paulo, nifi omnis fallor, quam Dobneri, quod pace tamen docti viri dictum fit, qui Zygos fuos, Heniochorum et Phtirophagorum vicinos, gentem miferam, et tefte Strabone, latrociniis vitam tuentem, ex importuofa Maeotidis ora, per immenfa terrarum fpatia, per tot barbaras fortiffimafque natio-

nes,

nes, in Bohemiam nouos colonos adducit. Quibusne illud argumentis? qua monumentorum auctoritate? — nulla; meris coniecturis, propter appellationis similitudinem, Zygorum, et Zechorum. Sic P. Albinus e Sacis, Saxones, et Misnicos e Mysis, Thuringos ex Tyrigetis formauit.

Multis autem argumentis moueor, vt Zechos, multo antiquiores Bohemiae incolas, quam vulgo habentur, esse credam. Qua de re paulo post dicendum erit.

§. IV.

Ex dictis igitur manifestum est, gentes Venedas, quasi aborigines, Illyricum ab antiquissimis temporibus incoluisse; quod etiam celeberr. Schloezerus ostendit; victas deinde, et arcibus suis depulsas, Rhaetos nimirum, Vindelicosque cum Iapodibus, reliquisque, qui mortem mallent, quam seruitutem Romanorum pati, ad Iazyges, vel, vti ego suspicor, Zechos potius dicendos, gentem Venedam, et consanguineam confugientes, in finibus Marcomannorum consedisse. Cum autem amissae patriae dolorem impatientius ferrent, ira et vindicta aestuantes, id egerunt, vt Iazyges, et Marcomannos in bellum contra Romanos concitarent, quod deinde M. Antoninus, cum his gentibus gessit fere internecinum. Ita enim Eu„tropius L. VIII. C. VI. ingenti Marcus labore, et mode„ratione bellum Marcomannicum confecit, quod cum his „Quadi, Vandali, Sarmatae, Sueui, atque omnis barbaria „commouerat.“ Sarmatas autem hos Iazyges fuisse, et sub Vandalis Venedos esse intelligendos, locorum situs, bellique postulat ratio, fuitque hic vulgaris priscorum error, vt Vandalos cum Venedis confunderent, quod mox in Dionis quodam loco monstrabitur. Nobis autem pergendum est.

Deleto

Deleto, vt A. Victor ait, per haec bella, cum ipsa gente, Marcomannorum nomine, Sarmatae Iazyges, Venedique, quos aio priscos Vindelicos fuisse, in vacuas eorum sedes immigrarunt, ita vt Iazyges, potius Zechi dicendi, Bohemiam, Vindelici propinqua loca, regionemque inter Albim, Salam, et Moldauam, sitam occuparent. A quo tempore, vti in Bohemia Zechos, ita in Misnia, Lechos, priscos nempe Vindelicos, vel Venedos Lechos, iam deposito Venedorum nomine, consedisse existimo. Locum ex L. XII. c. 29. 30. Annalium C. Taciti afferam, qui assertioni meae aliquam veritatis „speciem inducere potest. — Vis, inquit, innumera Li„gii, aliaeque gentes aduentabant (ad euertendum scili„cet Vannium.) Ipsi manus propria pedites; equites ex „Sarmatis Iazygibus erant. Iazyges obsidionis impatien„tes, et proximos per campos vagi, necessitatem pugnae „attulere; quia Ligius Hermundurusque illic ingruebant."

Quis, quaeso, ille Ligius, Hermundurorum socius? — nonne Lechus aliquis Venedorum princeps, a supra dictis Vindelicis oriundus? Non ignoro, Lygios a Tacito inter gentes Sueuicas numerari; sed quam late patuerit Sueuia, et quam diuersas nationes amplexa sit, omnibus etiam notum est. Nihil enim impedit, quo minus sub Ligio, Lechum in has terras ex Vindelicia translatum inveniamus. Ait praeterea Tacitus: latissime patet Lygiorum nomen, in plures ciuitates diuisum, quod posteriore aetate de Slauis Iornandes iisdem fere verbis asserit.

Sub Vespasiano de Iazygibus Tacitus Hist. L. 3. c. 7. memorat: „Ne inermes prouinciae barbaris nationibus „exponerentur, principes Sarmatarum Iazygum, penes quos ciuitatis regimen, in comilitium adsciti.

Funditusne has gentes, tam numerosas, et potentes, interiisse potius putemus, quam vt hos Zechis Bohemiae, illos Lechis Poloniae originem dedisse, concedamus? Zygi nimirum, latronum manus e Maeotide eo inuehendi sunt.

§. V.

Haec sententia mea pugnat aduersa, quod dicitur, fronte, cum recepta opinione, sexto demum saeculo, has Venedorum gentes, relicto Illyrico, in nouas has sedes immigrasse. Sed, vt taceam, multos viros doctos, harumque rerum studiosos, Garzonem, Erasmum Stellam, Melanchthonem, a partibus meis stare, praeter iam dicta, his etiam argumentis me potissimum moueri fateor.

Albim, quem in Hermunduris oriri, Tacitus perhibet, Dio tradit in montibus Vandalicis fontes suos habere, et sine omni dubio, sub Vandalis, Venedos intelligit, id quod ex allatis eo clarius patebit, quo longiore interuallo, Vandalos, eo temporis tractu, ab his regionibus remotos fuisse, inter omnes constat.

Deinde Wolffg. Iustus de Marchia, Marcomirum, ait, Francorum ducem, circa annum 141. capto Brandeburgo, Vitislaum, Venedosque inde eiecisse; quod alii in annum 91. p. C. N. reiiciunt. vid. P. Albinus in chron. Misn.

Cario affirmat in chronico L. III. Venedos ante Gothorum in Germaniam aduentum, iam ibi habitasse. Quorum argumenta adducere, iam nec tempus, nec hoc scripturae genus patitur. Zonaras sub Gallo, et Volusiano Imperat. ait: „multitudinem Scytharum paene innumera-„bilem in Italiam impressionem fecisse. pauloque post: „Galienum in vrbe Agrippina filium reliquisse, vt Gallis, „quos Scythae premebant, opem ferret."

Scythae-

Scythaene, et Sarmatae, vltra Viſtulam remoti, de bello Italiae inferendo per tot fortiſſimas validiſſimaſque Germanorum nationes, cogitauiſſent? Quin potius Zechos, Lechoſque, Italiae ceruicibus paene inhaerentes, ſemperque iram et vltionem contra Romanos ſpirantes, id molitos eſſe putemus, quod ſub Gregorio M. iterum eos tentaſſe, ex epiſtolis eius patet. Qua in re annales Batauorum conſentiunt, ſub Gratiano, et Valentiniano, Venedos Vilcios, id eſt, magnos, in Belgium, et Batavos fuiſſe euocatos.

Taceo, quod antiquiſſima fluminum, villarum, pagorumque nomina e lingua Slauonica, in terris Bohemiae, Miſniae, adiacentiumque regionum, deducta ſunt. Sic Moldaua, Sala, Scopauia, Chemnitza ſignificationem naturae ſuae propriam in ſermone Slauico habent. Moldaua a limo; Salaua a ſale, Chemnitza a lapide.

De his autem, ohe! iam ſatis eſt, ohe! libelle.

§. VI.

Multo igitur anteriore, quam vulgo habetur, tempore Venedi in his circa Albim, Moldauam, Salamque ſitis prouinciis conſederunt, varioſque dominatus, variis inſignitos nominibus, a terrarum ſitu, aliaue cauſa, praeſertim a fluminibus, quae accolebant, tractis, inſtituerunt. Et circa hanc aetatem, hiſque in terris, vox, et

Nomen Slauorum

ortum mihi, ex cauſis adductis, videtur. Albis enim fluuius Venedis Laba dicebatur; particula autem a, de, vel ex, eiuſdem gentis ſermone per litteram. Z. effertur. Venedus igitur, qui ab Albi veniebat, Z Laba, ad diſtinctionem aliorum Venedorum appellabatur. Probat hoc Helmodus his verbis: „Albia in occaſum ruens, pri-

„mo impetu Bohemos alluit cum Sorabis, medio cursu „Slauos dirimit a Saxonibus."

Liquet ex his, vni tantum Venedorum nationi, ad Albim post Sorabos commoranti, Slauorum nomen eo tempore, a sede eorum ad fluuium Laba, inditum fuisse; nam Bohemos, Sorabosque, eiusdem linguae, eiusdemque originis Venedicae fuisse constat, neque tamen ab Helmoldo Slauos appellatos, quia nimirum hoc distinctiuum nomen erat, quod paulo post propter virtutem, et res gestas huius gentis adeo inualuit, vt reliquae Venedorum familiae sibi gloriae ducerent, hoc nomine vocari, exterique Venedos iam Slauos vocarent.

Sic igitur prisci Vindelici, in nouis Misniae sedibus Ligii, vel Lechi vocati, posteriore tempore nomen Slauorum a fluuio Albi obtinuerunt, breuique tempore in tantas adoleuerunt vires, vt iam Iornandes §. 43. de iis dixerit: Slaui, facientibus ita peccatis nostris, vbique desaeuiunt; et Bodinus: Gens Slauica nominis sui et linguae fama vniuersam impleuit Europam.

§. VII.

Reliqua nunc, quam potest fieri breuissime, expediam. Desertis a cultoribus suis, Sueuorum, Gothorum, Vandalorumque terris, post nobiles harum gentium migrationes, Slaui, occupatis iis, iam late dominari coeperunt; excussoque, post mortem Attilae, Hunnorum iugo, vti Iornandes docet, regnum in Illyrico, nominis sui Slauonicum condiderunt. Qua de re tamen paulo accuratius dicendum est, quia ex eo patebit, vnde digressi in eas terras venerint; meque non sine causa a priscis Vindelicis hanc gentem deduxisse.

Ex

Ex Cosma Pragensi constat, prouinciam, quae nunc Misnia dicitur, a Zechis Bohemiae, olim Serbiam fuisse vocatam, hodieque etiam Lusatiae Venedi, Serbi, ab illis appellantur. Quid autem, rogo, verosimilius est, quam ab his Slauis, Serbisque, Misniae incolis, regna Slauoniae, Serbiaeque in Illyrico esse condita? adde, quod Slaui ab Hungaris Tuti vocantur, quasi Teutones dicant, vnde ad eos venerunt. Sunt in regno Slauoniae Rhaeti, olim Vindelicornm vicini, vulgo Rhaitzen dicti, originem priscumque gentis nomen prae se ferentes; quo forsitan etiam trahenda sunt verba, in Constitutione Ottonis M. qua limites Archiepiscopatus Magdeburgici definit: „terminum vero, inquit, eidem parochiae con„stituimus Aquilonem versus vsque ad fines prouinciarum, „Vweri, Riaciani, Dassia. vid. Antiquit. Plocenses.

Fuit etiam in Misnia Slauorum pagus, hodie Mügeln, olim Mogelin, Mogila, a tumulis Slauice dictus, cuius nominis regio in Imperio Constantinopolitano, apud Zonaram. T. III. p. 228. respondet, cum dicit, Pacinacas in regione Moglene constitutos inde Moglenitas fuisse nominatos.

Priscos igitur Vindelicos, et Rhaetos, deinde Ligios, postea ab Albi Slauos dictos, aut certe partem eorum, hoc nomen secum in istas prouincias, quas Imperat. graecis eripuerunt, asportauisse, tam vero simile est, quam quod verosimillimum; nec minus antiquum Ligiorum, vel Lechorum nomen apud has gentes, certe in principum familiis, remansisse. Quo autem tempore, pedem in istis, relicta Misnia, prouinciis, primo fixerint, accurate definire non audeo, ita tamen, vt hoc statim post migrationes gentium accidisse putem. Si enim iam sub Mauricio scribit Zonaras T. III. p. 60. „Chaganus „(Auarum dux) perfidus ipse quidem quieuit; Slauorum

„autem gentes quafdam, ad populandas Romanorum „prouincias concitauit, quae vfque ad longum murum „funt progreffae.“ Tam in propinquo iam, et tanta eorum vis eo tempore erat.

Sub Irene, tefte eodem Zonara T. III. p. 98. tanta „potentiae eorum erat opinio, vt Graeci quidam Slauicarum gentium principem conuenirent, orantes, vt eos „Athenis (vbi captiui attinebantur) educeret, et vnum eorum Imperatorem defignatum, in vrbem Imperatoriam „reduceret.“ Re nauali quoque eos valuiffe, idem memorat fcriptor.

Non improbabili igitur ratione, vti fpero, monftraui, prifcos Vindelicos, poftea Ligios, vel Lechos, eorumque partem Slauos dictos, Serbofque cum Rhaetis, relicta Mifnia, prouincias quafdam Illyrici occupaffe, eisque nomina fua indidiffe, quae ad noftram vfque perdurarunt aetatem.

Tunc eos cum prifcis Sarmatis, qui iam Roffi vocabantur, gente adhuc barbara, poft longiffimum temporis interuallum, quo feiuncti ab iis vixerant, commercia, amicitiamque renouaffe, ex eo colligo, quod iftae gentes fibi laudi ducerent, Slauorum nomen vfurpare. Sic enim apud Zonaram Rofforum princeps, nomine Sphendoslabus occurrit, quod nomen nihil aliud quam Vendoslauum fignificare mihi videtur; Bulgarorum item princeps Ioannes cognomento Sphendoslabus fuit. Sic duo oppida, magna et parua Perftlaba, apud eundem fcriptorem, in honorem Slauorum condita effe exiftimo. Quanquam non fum nefcius, eos, qui Slauos, a Slaua, gloria, deducunt, plane aliam fignificationem his vocibus tribuere. Ex his autem gentibus Lechum, Czechumque, exiiffe Polonorum confen-

confentiunt annales; de quorum nominibus pauca dicemus.

§. VIII.

Quam familiare multis olim gentibus fuerit, nationum nomina, fingulis perfonis, tanquam propria imponere, multis exemplis demonftrari poteft. Cimo Athenienfis natorum vnum Lacedaemonium appellauit: apud Perfas Sogdiani, apud Hebraeos Hyrcani nomen occurrit. Sic apud Iornandem funt Hunnimundus, Sueuorum dux, Oftrogotha, Theodorici filia, Vinidarius, Wandalarius; nomina inueniuntur. Sic in L. de Legat. Crifpi ad Attilam nomen Zechi, fic Sphendoslabi nomen fupra vidimus. Venda quoque apud Polonos, Slauina apud Obotritas, Czicha apud Bohemos nomina propria fuerunt. Cur nunc Lechi nomen cl. Dobnero adeo difplicet, vt illud per iuuenem explicandum, et ex omni Slauorum hiftoria eliminandum tam imperiofe iubeat?

Accedimus enim ad metam. Traditum nimirum a maioribus, femperque creditum fuit, fratres Lechum, Zechumque, illum Polonici, hunc Bohemici, regnorum conditores fuiffe. Hi nuper exulare ex hiftoria, contra monumentorum auctoritatem, et diuturnam traditionem, a viris doctis iubebantur. Quid autem res monftri habet, aut cur Catonem in cachinnos compellat, fi a fcriptoribus rerum Slauicarum memoratur: Fratres duos Lechum, Zechumque, natione Slauos e Croatia ob commiffum homicidium, cum clientibus, aufugiffe, illumque Poloniae, hunc Bohemiae res conftituiffe? Tanto quidem magis, quo probabilior eft Celfiffimi Principis Iablonouii fententia, qui ex Procopio monftrat, hoc homicidium in Chilbudio fuiffe perpetratum, quo ipfo etiam epocham huius facti felice perfpicacitate definit.

Non

Non hic lupa narratur conditoribus Romae vbera praebuisse; non Cyrus a cane educatus, vt eiusmodi traditiones, tanquam aniles fabulas, ex historia merito eiiciamus. Recte quidem Strabo, L. XI. p. 484. ait: „Historia, siue antiqua sit, siue noua, veritatem postu„lat; miraculum autem non habet, aut perraro."

Quod autem nos hic attonitos tenet miraculum? quid, quod, non dicam veritatem, sed similitudinem veri, laedat! Res, vti simpliciter gesta est, ita simpliciter narratur. Nec in traditionum censum reiicienda mihi videtur haec de Lecho historia, cum antiqui scriptores fateantur: „scriptum esse in priscis Polonorum historiis, „quod Poloni antiquitus sunt Lechi, vel Lechiti appellati.

Perierunt istae, temporum iniuria, historiae, sine dubio ex vetustissimis carminibus, concinnatae, quo potissimum modo populi septentrionales res maiorum gestas posteris tradebant: testante Iornande: in priscis eorum carminibus paene historico ritu recolitur.

His rationibus adductus Lechum contra aduersariorum argumenta, vti leuia, ita multo acri sale consperса, tuendum, et in historia Slauica conseruandum esse censeo. Neque hoc tam praedae spe illectus, quam studio facio, erga proauos; studio erga celsissimum S. R. I. Principem de ducibus Prussicis Iablonouium, Palatinum Novogrodocensem, tot ordinum equestrium collegam, tot academiarum socium, praesentissimum musarum praesidium, earumque, et omnium Lechi nepotum decus, et delicias: quem, qua pollet virtute, et doctrina summa, scio, vno, quod dicitur, ictu, si per negotia publica licet, Lechi aduersarios confecturum, ni forte iam confecerit: cuiusque post tergum latens, dum Ipse fulmineam intorquet hastam, ego leuia spicula spargo.

§. IX.

§. IX.

Reſtat, vt argumenta, quibus aduerſarii Lechum impugnauerunt, refellamus; et primum quidem arripiunt a ſilentio antiquiſſimorum ſcriptorum rerum Polonicarum. Hoc vt validum reddant, explodunt Boguphalis manuſcriptum Sommersbergianum, omnemque fidem iſti, quod Dobnerus in lucem dedit, adſtruere nituntur. Cum tamen anno iam praeterito, inuictis argumentis, et, quod dicitur, ad oculos monſtratum ſit, verborum contextum, rerumque dicendarum ſeriem poſtulare, vt locus, qui in Sommersbergiano Lechum, Czechumque memorat, genuinus ſit cenſendus, quanquam nonnulli codice non inſpecto, illum etymologicis nugis repletum, et Boguphale minus dignum, ab homine recentiore, et ignorantiſſimo inſertum iudicent.

Anonymus verbis claris dicit, in chronicis principum Poloniae, cum eorum geſtis: „ſe in antiquis Polo„norum (non Bohemorum tantum) hiſtoriis legiſſe, quod „Poloni antiquitus fuerint Lechi, et Lechiti vocati.“

Dalemil itaque non eſt primus, vt aduerſarii aiunt, qui Lechum in ſcenam produxerit. — produxerit? — imo potius, qui loco male intellecto, fabulae de Lecho occaſionem dederit. Negant enim adverſarii, vocem Lech, vnquam, verbum proprium ſed appellatiuum, et iuuenem ſignificans, tantummodo fuiſſe; et negant hoc, cum iam Caroli M. aetate, Lechus, dux Slauorum in bello contra eum ceciderit, quod antiquiſſimi annales, interque eos Quedlinburgici, apud Menckenium T. III. et ſaeculo X. ſcripti teſtantur. De Zecho autem, vt nomine perſonae proprio, ex Legatione Criſpi ad Attilam conſtare, iam ſupra dictum eſt.

Haec sunt argumenta, quibus aduersarii Lechum de loco se proturbaturos putauerunt. Suntne, quaeso, ea tanti pondoris, vt propterea historiae a maioribus traditae, semperque creditae, et summorum virorum scriptis consignatae fidem derogemus? Non puto hoc euenturum esse.

Fuerunt igitur antiquissimis temporibus Lechi, Zechique, gentes Venedicae, Illyrici incolae; vsitatum fuit, gentium nomina, tanquam propria, singulis personis imponere, quod exemplis probauimus. Sic Lechus, Zechusque fratres, ex Croatia profugi, quorumque iter Celsissimus S. I. Princeps Iablonouius paene radio definiit, ille in Poloniam delatus, hic in Bohemia subsistens, rem publicam ordinauerunt, gentesque feroces ad meliorem regiminis formam assuefecerunt,

Quorum semper nomen laudesque manebunt!

DE

DE

POLONORVM MAIORIBVS

SIVE

QVO TEMPORE SLAVI IN POLONIAM HODIERNAM

INGRESSI SINT

AD

CELSISSIMVM S. R. I. PRINCIPEM

IOSEPHVM ALEXANDRVM IABLONOVIVM

PALATINVM NOVOGRODENSEM, ORDINIS S. SPIRITVS

EQVITEM TORQVATVM

BONARVM LITTERARVM STATOREM OPTIMVM MAXIMVMQVE

EPISTOLA

IOHANNIS DANIELIS RITTERI D.

CELSISSIME PRINCEPS

Cum ingenti ardeas cupiditate, patrias auitasque res illustrandi, quaestionem attulisti in medium, quo tempore *Slaui*, qui deinceps *Lechitae* et *Poloni* dicti sunt, in eas terras, quas inhabitant hodie, sint ingressi. Est subdifficilis et perobscura quaestio illa, vt fere sunt aliae omnes de originibus gentium quaestiones, dum testimoniis hominum coaeuorum destituamur, et magnopere praeterea cauendum sit, ne, si ingenio nimium indulgeatur, vel delirasse videamur, vel bellissimas enarrasse fabulas. Ingenue propterea fateor, abstinere me lubentius ab hoc genere scriptionis voluisse, in quo multa sunt, quae nos facile magna possunt probabilitate fallere, nisi desiderio TVO, *Celsissime Princeps*, satisfaciendum esset, qui pro insigni TVA humanitate comitateque postulasti a me, vt mentis meae sensa scripto explicarem. Eam etiam propter causam ad TE *Celsissime Princeps* hanc dare epistolam volui, vt TIBI potissimum pro perspicacia TVA, (quam praesens cognoui) et acumine, facultas iudicandi esset, cum nec de praemio certare cupiam, nec tantae confidentiae sim, vt putem, egregie me atque subtiliter de re tot dubiis inuoluta pronuntiare posse. Non aegre feram etiam hominum doctorum, qui forte, quae a me scripta sunt, legent, iudicia; habet enim quisque suam sentiendi libertatem, imo sancte testor, me, qui quotidie per alios proficere cupio, gaudium esse conceptu-

cepturum, ſi videro, obſcuram rem in lucem clariorem prolatam eſſe.

Diuidenda autem, *Celſiſſime Princeps*, quaeſtio propoſita in partes eſſe videtur, vt intelligamus, qui populi primo poſt Chriſtum natum ſeculo (altius enim aſcendendum non eſt, niſi magis caecutire velimus) Sarmatiam Europaeam inhabitauerint, deinde intueamur in gentes ipſas, diſpiciamuſque, quo tempore ſedes mutauerint, aliisque occaſionem dederint, in terras relictas, et ab hominibus pene vacuas, inuadendi; denique etiam in hoc inquiramus, quae potiſſimum Sarmatica gens de finibus ſuis propagandis cogitauerit, et planos illos hodiernae Poloniae campos coeperit occupare; poſtremo tandem quaeſtiunculam ponamus, quis gentem Sarmaticam in nouas ſedes duxerit, et vtrum is Lechus quidam an alius, an vero plures fuerint, qui gentis principes ſiue Domini eſſent.

Quo vero melius de vetuſtis Sarmatarum ſedibus exiſtimare valeamus, primo loco, *Celſiſſime Princeps*, vetera geographorum hiſtoricorumque teſtimonia excitabo, deinde vero ordine temporis ſeruato, de diuerſis gentium migrationibus ediſſeram. Quod ad Strabonem adtinet, qui imperante Tiberio ſcripſit, de Sarmatarum is finibus nihil, quod dignum eſſet notatu, proditit memoriae. *Libro VII. pag. 452. ed. Almelou.* haec leguntur: „Quid autem „ſit vltra Germanos, et alios iis confines, ſiue ii ſunt „Baſtarnae, vt plerique putant, ſiue alii interiecti, ſiue Ia„zyges, ſiue Roxolani, ſiue alii in curribus domicilia ha„bentes, non eſt facile dictu: eadem ignoratio reliquo„rum ad Boream vergentium; neque enim ſcimus, Baſtar„nae et Sauromatae, et in vniuerſum, qui ſupra Pon„tum habitant, quantum abſint ab Atlantico mari, aut an „eo vſque pertingant.“ Fuerunt igitur Straboni de Sarmatis

matis Europaeis fere omnia incognita, vt videatur modo nomina Sauromatarum, Iazygum et Baſtarnarum audiuiſſe. *Mela*, qui Claudii Imperatoris attigit tempora, *Lib. 2. cap. 1.* de Sarmatis memorat, pro ſedibus eos plauſtra habuiſſe. *Plinio* vero, qui poſt eum, imperante Veſpaſiano hiſtoriam concinnauit, Venedi iam innotuerant. Tradit enim *Libr. 4. c. 13.* Quaſdam terras habitari ad Viſtulam vſque fluuium a Sarmatis, Venedis, Scyris. Igitur Veſpaſiani tempore Venedi, Slauica gens, caput ita iam extuliſſe videntur, vt ad Romanos vſque nominis eorum fama, forte propter bellicam virtutem, penetraret. *Tacitus* viuente Nerua libellum de Germanis populiſque Germaniae vicinis compoſuit, in quo *cap. 46.* legimus: „Peu„cinorum, Venedorumque nationes Germanis an Sar„matis adſcribam, dubito.“ Quae dubitatio facit, vt intelligamus, Tacitum populum Venedicum minime cognitum habuiſſe; praeſertim quod eam propter cauſam inter Germanos numerandum cenſeret, quoniam multum ex moribus traxerit, finxerit domos, geſtarit ſcuta, et peditum vſu et pernicitate ſit gauiſus; eſſe enim haec omnia diuerſa Sarmatis in plauſtro equoque viuentibus. Ignorabat enim Tacitus, Sarmatarum nationem maximam et in plures gentes diuiſam fuiſſe, inter quas Venedi, qui proxime ad fines Germanorum ſedebant, non potuerunt non etiam multum ex eorum moribus trahere, cum aliae inter ſe cultu differrent, diuerſiſque conſuetudinibus vterentur. Cum *Ptolemaeus Alexandrinus* imperante Antonino Pio Geographiam ſcriberet, et gentium, quae maxime innotuerant, ſedes commemoraret, *L. 3. c. 5. de Sarmatis Europaeis* haec tradidit: „tenent autem Sarmatiam maximae „gentes Venedae“ — „per totum Venedicum ſinum, et „ſuper Daciam Peucini et Baſtarnae, et per totum Maeo-

„tidis

„tidis latus Iazyges et Alauni (Alani) Scythae: Minores „autem gentes tenent Sarmatiam, penes Viſtulam quidem „fluuium: ſub Venedis Gythones (Gothones Gothi) ſunt: „ſub quibus Phurgundiones (Burgundiones) etc." In *tabula Peutingeriana* vltra Danubium deſignantur Sarmatae vagi, et ſolitudines Sarmatarum in Pannonia. *Iornandes* qui Iuſtiniani tempore *hiſtoriam Gothicam* ſcripſit *c. 5. de Rebus Geticis*, ad Viſtulam refert Vinidarum nationem populoſam conſidere.

Venedos igitur habemus, fama iam Veſpaſiani tempore inclytos, et ad Viſtulam ſedentes, eſtque probabile, ibidem eos etiam Auguſto imperante haeſiſſe, licet auctores veteres mentionem eorum non fecerint. Nam cum Romanis, quorum res geſtas litteris conſignatas habemus, nec bella propter locorum longinquitatem gerere, nec etiam quaeſtuoſam emendi vendendique mercaturam facere poterant. Hi vero Venedi, quod ex Ptolemaeo ſcimus, terram Viſtulam inter Chronumque fluuios, incoluerunt, habetque ſinus Venedicus ab eis nomen. Chronus hodie eſt Germanorum Memel, Polonorum Niemen, in lacum influens Curonicum; vt fines populi Venedici latiſſime paterent, cum Chronus a capite ſuo, eundo per magnam Lithuaniae et Samogitiae partem milliaria pene nonaginta Germanica conficiat. Septentriones verſus Venedi Aeſtios habuerunt vicinos, quos indicaſſe modo ſufficiat. Sedebant ad meridiem Baſtarnae atque Iazyges; ad occidentale vero latus habitabant Gothi Burgundi, Wandali: Et Gothi quidem (Wiſigothi ſeu Weſtgothi erant) ad vtramque Viſtulae ripam in Pomerania, Pruſſiae parte, et maiore Polonia hodierna ſedebant. Porro ad Viſtulam eiuſque caput inueniuntur Quadi, quorum verſus Occidentem vicini erant Marcomanni in Boiohemia.

Hi

Hi populi finitimi Venedis ob oculos quasi nostros ponendi sunt, vt probabiliter de migratione Venedorum in has terras, quae temporis successu desertae sunt, iudicare valeamus.

Videamus iam, *Celsissime Princeps*, seruato temporis ordine, quas res Venedorum vicini olim gesserint, et quando sedes mutauerint, vt Venedi occasionem eas occupandi nanciscerentur. Saeculo primo, cum summam rerum Augustus teneret, Marobodui, Marcomannorum regis, qui secundum *Velleium L. 2. c. 108.* finitimos bello domuerat, potentia Romanis adeo suspecta fuit, vt Tiberius Carnuntum in Pannoniam cum legionibus mitteretur, qui pro securitate prouinciae excubaret. Bellum tamen non gestum, sed aequis conditionibus *Tacito auctore, Annal. L. 2. c. 47.* discessum est.

Post Augusti mortem anno 14. seculi I. rerum potitus est Tiberius. Quo imperante Princeps Gothicus Catualda Maroboduum regno expulit, sed Gothorum populus nec sedes suas mutauit, nec etiam sibi Marcomannos subiecit, imo haec Catualdae fortuna diuturna non fuit, quem paulo post Hermunduri et Vibilius quidam in exilium egerunt, vt Marcomanni quidem dominos, minime vero sedes mutarent, nec Wisigothi etiam de iis transferendis cogitarent.

Claudio imperante Vannius Quadorum princeps, bello impeditus, a Iazygum populo, quem equitatu valuisse *Tacitus Hist. L. 3. c. 5.* scribit, auxilia accepit. „Sedebant autem Iazyges Sarmatae ad fines Quadorum Danubium inter et Tibiscum flumina et Septentriones versus ad montes Carpaticos, Carpos atque Venedos, ad orientem Bastarnas populares finitimos habebant.“ *Plinius*

nius L. 4. c. 25. Et hic locorum Iazyges ſemper haeſerunt, nec vnquam, quod infra viſuri ſumus, ingreſſi ſunt in hodiernam Poloniam.

Veſpaſiani tempore, vt eſt relatum ſupra, Plinius Venedos memorauit, ad quos eſt paulo accuratius attendendum, cum ſine dubio ſint hodierni regni Polonici conditores. Coercebantur adhuc intra hos fines, quos memini me ſupra aſſignare, vt colligere licet ex ſedibus finitimorum populorum. Vtrum cum gentibus, quae ſpectant ad Septentriones, pacem coluerint, an vero certauerint armis, hodie iuxta cum ignariſſimis ignoramus.

Iazyges, quo tempore Domitianus imperabat, circa aerae vulgaris annum 84. vel 85. cum Quadis foedus inierant, traiecturi Iſtrum, quod docent *excerpta e Dione, pag. 761. Edit. Leonclau. Francf.* quo tamen loco Sueuorum nomen in Quadorum commutandum eſt, niſi gentes inter ſe confundere velimus. Videntur etiam Oſtrogothi ſi *Iornandi de Rebus Get. c. 13.* fidem tribuamus, Domitiano innotuiſſe, cum is circa annum 89. bellum Decebalo inferret. Relatum enim legimus, Oſtrogothos Dacorum ſocios eo in bello fuiſſe.

M. Antoninus, quem Philoſophum vulgo appellant, incidit in triſte et funeſtum bellum, quod Marcomannici nomine venit, cum gentes ad Danubium et in Sarmatia Europaea ſedentes, quaſi certatim aduerſus Romanum Imperium conſpiraſſent. Auctor eſt *Capitolinus in Vit. c. 23.* arma cepiſſe, Marcomannos, Quados, Sarmatas, Roxolanos et Baſtarnas. Sunt Sarmatarum nomine Iazyges intelligendi, qui mira ſemper flagrarunt cupiditate Danubium tranſeundi, vt Pannoniae ſibi partem vindicarent. Cum igitur tot populi, et in his etiam Wandali, aliique ad fines Venedorum habitantes ad Danubium vſque

pene-

penetrarent, improbabile non eſt, Venedos circa annum 169. de finibus occidentem verſus propagandis cogitaſſe et arma cepiſſe. Id *Capitolinus in Marco c. 14.* innuere videtur, cum ſcribat, alias gentes, quae pulſae a ſuperioribus barbaris fugerant, niſi reciperentur (in ſolum nimirumRomanum) bellum intuliſſe. Etenim Barbarorum ſuperiorum nomine Venedos tantum intelligere poſſumus, cum, qui fugerant, praeſertim Vandali, in eorum finibus habitarent. Certe Wandalos ſimul cum Iazygibus hoc tempore Danubium traieciſſe, ſcriptum legimus apud *Capitolinum c. 17.* Pars igitur Wandalici populi ſedes ſuas Marco imperante deſeruit, et propius acceſſit ad fines Iazygum, aut forte inter Iazyges ipſos coepit viuere. Non potuerunt quidem Venedi, quod animis forte conceperant, perficere, nimirum, vt latius fines extenderent, cum et Wiſigothi et finitimi populi alii plurimum adhuc potentia valerent, M. Antoninus etiam circa annum 173. Pannonias Marcomannis, Sarmatis, Wandalis et Quadis extinctis, liberaret ſeruitio, (*vt legitur apud Capitolinum l. c.*) vicinaſque gentes repelleret, videntur tamen arma finitimis oſtendiſſe, quae deinceps latius circumtulerunt. Pertinet huc locus Ptolemaei, ſupra excitatus, qui certiores nos facit, Venedos ad ſinum Venedicum habitaſſe, et inter gentes Sarmaticas minores hoc iam tempore caput extuliſſe.

Wandalos, *Celſiſſime Princeps*, quo tempore Caracalla imperio praefuit, ad mare Sueuicum et intra Albim Viadrum et Viſtulam inuenies, apud *Dionem in Excerpt. Valeſ. p. 756.* qui finitimos etiam eorum Marcomannos memorauit, et retulit, gloriatum Caracallam eſſe, quod Wandalos et Marcomannos armorum antea ſocios inter ſe commiſiſſet. Quod vero ad Wiſigothos attinet, videtur ingens eorum multitudo, iam initio tertii ſeculi, ad

Oſtrogothos et Daciam verſus migraſſe, cum Oſtrogothi ad Danubium ſedentes ſua potentia tantum hoc tempore terrorem Romanis incuterent, vt Alexander Seuerus, ne fines imperii turbarent, annua iis ſtipendia, *Petro Patricio in Excerptis Legat. pag. 24.* referente, numeraret. Breue fuit Maximini, quem Thracem vocant, imperium. Succeſſit is Alexandro anno 235. et ab his maxime ſuſpiciendus eſt, qui Slauos amant, cum ſanguine is Slauicam gentem attigerit. Natales eius magno ſunt indicio, Slauos ſ. Venedos Gothis mixtos tunc temporis in Thraciae confiniis inter Romanos tanquam ruricolas iam vixiſſe. Scribit *Capitolinus in vita eius c. 1.* „Hic de vico Thraciae vicino barbaris (Gothis) barbaro „etiam patre et matre genitus, quorum alter e Gothis, „alter ex Alanis genitus perhibetur. Et patri quidem no„men Micca, matri Ababa fuiſſe dicitur.“ Patris nomen Gothicum ſ. Germanicum eſt. Culicem et Gothi et Germani *Müke* appellant, conſueueruntque Gothi et Germani liberis, brutorum animalium, beſtiolarumque nomina imponere. Cum mater Alana fuerit, patet euidenter Alanos gentem originis Slauicae fuiſſe, quod etiam *Ammiano* iam in mentem venit qui *Libro 31. c. 2.* ſcriptum reliquit, Alanos in Sarmatiae Europaeae finibus ad montem Alanum olim conſediſſe, Baba vero notat apud Venedos et Polonos mulierem.

Senatus Romanus Maximino, Maximum Pupienum et Clodium Balbinum Auguſtos oppoſuerat, quorum hic bellum quidem contra Sarmatas moliebatur, ſed a Praetorianis anno 230. cum Pupieno Imperii collega trucidatus non potuit, quod agitabat, animo efficere. Turbaverant autem Iazyges, imperii fines, vt docent res a Gordiano III. ſucceſſore geſtae. Etenim cum is contra Perſas

Persas expeditionem susciperet, in itinere ex Moesia, Thraciaque hostes expulit, *Capitolinus in vita c. 26.* Habitabant vero hoc iam tempore ad Moesiae fines Iazyges et Alani, (Slauica gens) quorum hi ad Philippopolim Thraciae venientes, cum secunda fortuna in bello aduersus Romanos vterentur, quasdam Illyrici partes vindicasse sibi videntur. *Capitolin. in Gordiano c. 34.*

Non dubitandum est, quin Decio Augusto imperante noua populi Visigothici manus ad Ostrogothos migrauerit, cum eo tempore tot tantique exercitus Gothici in prouincias Romanas, praesertim vero in Thraciam ingressi sint, vt et Philippopolis in Barbarorum potestatem veniret et Peloponnesus in periculo versaretur, denique etiam ipse Decius pugnans contra hostes cum filio vitam amitteret. *Ammianus L. 31. c. 5. Aurelius Victor c. 29. Zosimus L. 1. c. 38. Iornand. de Rebus Goth. c. 18.* Faciunt nos certiores scriptores rerum Romanarum, Gallum imperatorem imparem viribus Gothicis, coactum esse pacem foedusque cum Gothis pangere, annua etiam pecuniae summa promissa. Sed illa pax diuturna non fuit, cum Gothi sua vterentur fortuna, et Valeriano imperante anno 258. in Asiam arma importarent, et prouincias vastarent. *Zosimus L. 1. c. 38.* Nec inepte me coniecisse putandum est, Wisigothorum multitudinem circa haec tempora Ostrogothis se coniunxisse, cum locus *Dexippi apud Syncellum in Chronograph. p. 382. Ed. Par.* id euidenter probare videatur, ex quo scimus Herulos quingentis cum nauibus traiecta palude Maeotide in Pontum nauigasse; Heruli vero ad mare Sueuicum et proxime ad Wisigothorum fines sedebant. Igitur si Heruli facta societate armorum cum Ostrogothis ad paludem vsque Maeotidem sunt profecti, nonne CELSISSIME PRINCEPS, mecum sen-

 ties,

ties, Wiſigothos etiam iter ad populares ſuos ingreſſos eſſe, vt praedae participes fierent?

Poſt Gallienum Claudius Auguſtus ab anno 268. ſummam rerum tenuit. *Zoſimus L. 1. c. 41.* auctor eſt, eo imperante Oſtrogothos (male Scythas appellat) Herulis ſibi aliiſque Gothis (Wiſigothis) adiunctis cum exercitu trecentorum et viginti millium hominum in Moeſiam irruiſſe. Sed hos imperii hoſtes, tanta Imperator clade affecit, vt vix vires recuperaſſent, niſi Wiſigothi reliqui Venedorum finitimi collapſam penitus rem ad Danubium Gothicam auxilio et ope potuiſſent reſtituere. Nota eſt Claudii Imperatoris de victoria Gothica *epiſtola apud Pollionem in vita c. 8.* in qua legimus, trecenta viginti millia Gothorum deleta, nauium duo millia ſubmerſa eſſe. Tanta igitur Oſtrogothorum clade factum eſſe videtur, vt Wiſigothi pedetentim nouas colonias ad paludem Maeotidem mitterent, ne ſanguine coniunctus Oſtrogothorum populus ad incitas redigeretur.

Qui Claudio ſucceſſit Aurelianus Auguſtus, cum Wandalis pepigit. Hi ad Danubium vſque finibus ſuis egreſſi, venerant. Ignoramus annum, quo a Romanis proelio ſuperati, et coacti ſunt pacem petere, quam his conditionibus ſecundum *Dexippum in excerpt. de Legat. p. 12. Ed. Par.* obtinuerunt, vt eas in terras, quas poſſederant antea, redirent, emendi vero, vendendique cauſa ad Iſtrum venire poſſent. Ducebat Aurelianus A. anno 272. in Orientem exercitum, et rebus feliciter contra Zenobiam geſtis, cum ad triumphum rediret, in itinere Carpos Sarmatiae gentem, (errant enim et veteres, et recentiores, qui Carpos, Baſtarnaſque inter Germaniae populos numerant) a qua nomen habent montes Carpatici, ſuperavit, victaeque Carporum multitudini ſec. *Aurelium Victorem*

rem c. 39. agros in solo Romano assignauit. Acceperunt igitur *Celsissime Princeps*, Sarmatae quidam in Pannonia sedes. Desperabat idem Princeps prouinciam trans Danubium, Daciam, quam imperator Traianus adiecerat, defendi retinerique posse. Abductis igitur milite et prouincialibus eam deseruit. *Vopiscus in Aureliano c. 39. Eutropius L. 9. c. 9.* Iam vero Ostrogothi nacti sunt occasionem, opulentam illam sed indefensam prouinciam sibi vindicandi, vt ab Aureliani tempore longe lateque per omnem Daciam Gothi habitarent, donec res post Hunnorum inuasionem conuersae sunt.

Occiso Aureliano A. anno 275. a senatu Tacitus imperator est appellatus. Statim autem Gothi orientis prouincias turbarunt. Quibus consilio viribusque Tacitus ita restitit, vt redire cogerentur ad paludem Maeotidem. *Vopiscus in Tacito c. 13.* Intelligimus ex *Zosimo L. 1. c. 67.* Probum imperatorem, qui Tacito successerat, in finibus Galliae contra Burgundos Wandalosque secunda fortuna pugnasse, et captam hostium multitudinem in Britanniam misisse, quae eam Insulam in posterum inhabitaret. Auctor est *Cambdenus*, villam quandam Vandelsburium nomine in agro Cantabrigiano sitam dictam ab his Vandalis esse. Quod quamuis incertum sit, hoc tamen certius est Wandalorum vires, cum ingens eorum numerus in peregrinam terram mitteretur, vel anno 277. si *Eusebium in chronico* sequamur, vel anno sequente attritas deminutasque, et in Wandalia ad mare Sueuicum sita, sedes vacuas ortas esse. Notandum autem inprimis est, Probum Imp. Sarmatas in Illyricum irrumpentes expulisse, *Vopiscus in V. c. 16.* et postquam ex Oriente victor, in Thraciam rediret, in ea prouincia centum Bastarnarum millibus sedes assignasse. Thraciam igitur, Celsissime Princeps, vel ab anno

anno 279. vel ſequente inhabitare coepit, gens Slauica, quae licet ſecundum *Zoſimum L. 1. c. 71.* Romanis moribus viueret, lingua tamen ſua vſa eſt, et deinde Slauis ſe aliis adiunxit, cum Moeſiae prouinciam et Illyricum inuaſiſſent. Erant Baſtarnae Venedorum verſus meridiem et Iazygum ad occidentem finitimi, Carpaticique montes ab auctoribus Baſtarnicae Alpes ſolent appellari. Iazygum hoc tempore apud ſcriptores mentio facta non eſt, cum forte propter interna quaedam diſſidia imperii fines turbare non poſſent. Etenim ex *Mamertini Panegyrico in Maximianum c. 16.* intelligimus Barbaras nationes omnes ad Danubium ſe laceraſſe, vt oratori videretur, ipſum Iouem Barbararum gentium rabiem extra imperii terminos in terras ipſorum hoſtium diſtuliſſe.

Circa annum 294. Sarmatae, (Iazyges; nam res ſunt ad Danubium geſtae) a Diocletiano ſunt attriti. Tota vero Carporum natio ab imperatore in ſolum eſt translata Romanum. *Aurel. Victor. de Caeſar. c. 39.* Ingreſſa igitur eſt integra gens Slauica Carporum in ſuperiorem Pannoniam, et regio hodiernae Poloniae minoris longe lateque ſolitudines accepit. Succedit temporis interuallum ad Conſtantinum M. vſque, quo veteres ſcriptores nullam neque Iazygum neque Sarmatarum mentionem iniecerunt. Sed anno forte 319. Conſtantinum pugnaſſe contra Sarmatas ad Danubium (Iazyges) teſtantur nummi apud *Bandurium* cum inſcriptione *Victor. Sarmat.* Quid vero eo in bello geſtum ſit, hodie ignoramus. Nam quae ex *Tillemontio Maſcouius in hiſt. regni Teut. L. 6. §. 25.* de victoriis ad Camponam Valeriae, Bononiam inferioris Pannoniae et Margos Moeſiae vrbem retulit, ad Gothos pertinere videntur, quos ſolet ſaepius *Zoſimus* cum Sarmatis confundere; imo Rauſimodi regis nomen quod memorat

L. 2.

L. 2. c. 21. Gothicae est originis. Imo ex *Anonymo Valesiano pag. 776.* et *Fastis Idalii* ad *annum 332.* Gothos bellum contra Sarmatas gessisse intelligimus, quibus hoc tempore Constantinus auxilia praebuisse dicitur. Hi vero Sarmatae Iazyges erant, ad fines Gothorum in Dacia habitantes. Seruos suos armauerant, forte antequam auxilia Romanorum appropinquare possent, contra hostes Gothos, sed serui caesis hostibus insolentiores facti arma in Dominos conuerterunt, iisque in exilium actis et praedia et rempubl. sibi vindicauerunt. His exulibus, quorum erant trecenta millia, Constantinus in Thracia et Macedonia sedes ad inhabitandum dedit. Videmus igitur, *Celsissime Princeps*, post Carpos nouam Iazygum coloniam ex Sarmatis nobilissimis in solo Romano: et refert *Euseb. in vita Constant. L. 4. c. 6.* Constantinum non modo miseris dedisse salutem, agros ad colendum inter eos diuisisse, sed etiam militiae adscripsisse, vt faterentur calamitatem sibi feliciter euenisse. Ab hoc tempore tot Sarmatae inter tribunos militares Romani exercitus occurrunt. Et licet postea patriam suam hi Iazyges recuperarent, multi tamen ex iis forte beatiores in solo Romano facti, ad sedes patrias redire noluerunt.

Est dignum notatu, quod ex *Dexippo* apud *Iornandem de rebus Geticis c. 22.* de Wandalis legimus. Venerant hi hoc tempore e patria sua exeuntes, et longo per annui temporis interuallum itinere facto ad Marisium (Marox) vsque fluuium partemque Daciae occupauerant. Existimabant autem Ostrogothi ad se omnem Daciam pertinere, eamque ob causam auspiciis ducis siue regis sui Geberich nomine bellum Vandalis intulerunt, tanta eos clade afficientes, vt reliquiae fugientes Constantini opem implorarent, a quo in Pannoniam recepti, ad Honorium Augustum vsque in ea

prouincia commorati ſunt, donec tandem ſuaſu Stiliconis magiſtri militum in Gallias ingrederentur. Iam vero patet, etiam Conſtantini aetate in Vandalia propria ſolitudines nouas ortas eſſe.

Ex eodem *Iornande L. cit. c. 23. et 24.* ſcimus, Oſtrogothos imperante Conſtantio Auguſto ſeptentriones verſus expeditionem ſuſcepiſſe, Herulos Viſigothorum affines ſuperaſſe, arma deinde in Venedos conuertiſſe eaque ad Aeſtios vſque circumtuliſſe. Cur Oſtrogothi bellum Venedis, quos longiſſime ab eorum finibus abſuiſſe ſcimus, intulerint; cauſſam reddam probabilem. Iam ante Conſtantini M. imperium Wiſigothorum quod vidimus, ingens multitudo ſedibus ad mare Sueuicum Viſtulamque relictis ad Oſtrogothos venit et benigne a popularibus ſuis excepta loca ad pontum Euxinum inhabitare coepit. Notum enim eſt ex *Themiſtio orat. 15. pag. 190.* hos Viſigothos ad Pontum ſedentes Conſtantino M. imperante tantum iam potentia valuiſſe, vt imperator foedus cum iis iniret, ducem gentis, (Iudicem appellabant Viſigothi) beneficiis ornaret, honoriſque cauſa Conſtantinopoli ei ſtatuam prope curiam poneret. *Iornandes c. 51.* hos Viſigothos Gothos minores immenſumque populum vocat. Videntur itaque Venedi, qui ad fines Viſigothorum habitabant, populi Viſigothici reliquias ad Viſtulam et mare Sueuicum poteſtati ſuae ſubiicere hoc tempore voluiſſe. Viſigothi vero reliqui iugi Venedici impatientes, cum nec cita nec prompta auxilia a populo ſuo ad Pontum ſedente propter longinquum iter habere poſſent, Ermanaricum Oſtrogothorum principem in Dacia ſedentem ſibique propiorem imploraſſe videntur, vt opem in periculo verſantibus praeſtaret, et arma contra Venedos caperet. Auctor eſt *Iornandes*, polluiſſe hoc tempore Venedos numeroſitate,

rositate, et arma opposuisse Ermanarico: „Sed nihil va-„let, (addit historicus) multitudo in bello, praesertim vbi „et multitudo armata aduenerit. Pergit *Iornandes*: „Hi Ve-„nedi ab vna stirpe exorti tria tunc nomina reddidere, Ve-„nedi, Antes, Slaui, qui quamuis nunc (seculo sex-„to) ita facientibus peccatis nostris vbique saeuiunt; (erant „enim numinum cultores) tamen tunc omnes Ermanarici „imperiis seruiebant.“ En, *Celsissime Princeps*, classicum locum, ex quo colligas, Constantii A. tempore easdem Venedos adhuc sedes obtinuisse, sed quo tempore *Iornandes* scriberet, (scribebat autem ante euersum Ostrogothorum in Italia regnum) ita iam extulisse caput, vt vicini ab iis opprimerentur. Paulo quidem iniquior in Venedicam gentem *Iornandes* esse videtur, cum dicat, eam saeuiisse, sed forte doluit, quod Gothorum reliquiae in potestatem eorum venerant, aut ad Sclauenos Venedicam gentem respexit, qui, cum Iustinianus bellum aduersus Totilam gereret, Istro superato Thraciam milite nudatam caedibus rapinisque, referente *Procopio L.3. de bello Gothico c.38.* crudelissime exhauserant.

Non modo probabile, sed extra dubium pene positum hoc esse videtur, Ermanarici Ostrogothi, qui victricia signa inter Venedos circumtulit, factum esse tempore, vt Visigothi plerique Ostrogothis victoribus se adiungerent, et auitas sedes ad mare Sueuicum Vistulamque desererent, cum praeuidere facile possent, Venedos multitudine viribusque pollentes post Ermanarici abitum libertati Gothicae structuros esse insidias. Gothia igitur ad mare Vistulamque sita Constantii A. tempore in solitudinem vastitatemque commutata est, quique ex Gothis solum non verterant, (nam omnes emigrare non potuerunt, et forte quidam non voluerunt fertiles frugiferosque fun-

dos deserere,) coacti deinde sunt, vel iugum subire Venedicum, vel aequis inter Venedos conditionibus viuere, praesertim cum Attilae tempore Ostrogothorum in Dacia et Visigothorum, qui ad Pontum sedebant, res adeo conversae essent, vt ipsi ab Hunnis oppressi de suppetiis aliis ferendis ne cogitare quidem possent. Certe iam ante Valentis imperatoris tempora, omnis Gothorum populus Ostrogothorum et Visigothorum in terris a Tibisco fluvio, ad quem Iazyges sedebant, ad Tanaim vsque habitauit, nec inepta est doctorum hominum illa coniectura, celebrem etiam vrbem Azow a Gothis nomen habere, et palatium siue sedem principalem Gothorum in Asiae finibus haerentium indigitare; sed mittamus omnes coniecturas, sufficiatque, *Celsissime Princeps*, ex monimentis veterum idoneis me docuisse, a Constantii A. tempore (seculo IV.) ad Valentem vsque Gothos potentissimos Venedorum finitimos, sedes auitas ad mare Sueuicum et Vistulam dereliquisse, Venedisque, quos ex Iornande scimus gentem fuisse populosam, dedisse occasionem, terras sibi Gothicas, quae iam desertae quasi iacebant, vindicandi.

Sed forte, *Celsissime Princeps*, existimare non nulli possent, vicinos Iazyges in has solitudines ingressos esse. Igitur ostendendum esse videtur, hos, qui ita sentiant, vehementer errare: Iazyges enim, qui proxime ad veteris Pannoniae fines habitabant, sedes, quod veterum probant testimonia, nunquam mutauerunt. Cum Constantius A. anno 357. Romae triumphum duceret, Iazyges interim testibus *Ammiano Marcellino L. 16. c. 10.* et *Themistio Orat. 4. p. 56.* Moesiam superiorem et Pannoniam secundam vastauerunt. Inuenies, *Celsissime Princeps*, hos imperii hostes anno 358. Danubium inter et Tibiscum, quo tempore sunt clade a Constantio affecti, atque in dedi-
tionem

tionem Romanorum ea lege venerunt, vt pulsis olim Dominis suis fundos restituerent et rempublicam redderent, ipsi vero a Constantio imperatore nouas in Pannonia sedes acciperent. *Ammianus L. 17. c. 13. L. 19. c. 11.* Ita fex Iazygici populi secundum pacis formulam in solum Romanum recepta, sed anno statim sequente, cum nouos cieret tumultus, vel deleta a Romanis, vel in seruitutem detrusa est, vt ab hoc tempore nulla porro mentio Sarmatarum limigantium, vt vocantur, apud auctores occurrat. Nobiles vero Iazyges illi, qui auctoritate Constantii in patriam redierant, et auita praedia recuperauerant, intra breue interuallum temporis viribus adeo sunt aucti, vt etiam immemores accepti beneficii, imperii fines turbare auderent. Etenim ex *Ammiano L. 30. c. 3.* scimus, facto cum Quadis foedere, Valentiniano M. imperante, circa annum 372. in Pannoniam eos ingressos esse, et prouinciam latrociniis exhausisse. Sedes hoc tempore adhuc veteres tenebant, easque, licet Pannonia paulo post ingentes mutationes subiret, nunquam deseruerunt, vt hodie etiam regionem et populum Iazygum in Pannonia superiore Danubium inter atque Tibiscum inueniamus.

Redeamus iam, *Celsissime Princeps*, ad Venedos nostros. Hi igitur eas in terras, quae post discessum aliarum gentium derelictae et quasi desolatae iacebant, nemine impediente ingredi, finesque suos in pratis, ad vtramque Vistulae partem et ad Sueuum siue Viadrum fluuium florentibus proferre potuerunt. Abierant e vicinia Venedorum, Wisigothi seculo IV. paucis forte, quibus commodum non esset longum ad Pontum vsque iter facere, remanentibus. Wandalorum alii in Pannonia haerebant, alios initio quinti seculi sollicitauit Rhadagaisus, vt aduersus Romanos arma caperent. Idem Rhadagaisus sub

ſignis habuit Burgundos. Et Vandali quidem anno iam 407. ſunt in Gallia viſi. *Proſper in chronico. Oroſius L. 7. c. 40.* Quae deinde regna condiderint, non memoro, neque etiam huc pertinet. Burgundi anno 414. ſecundum *Caſſiodorum* et *Proſperum in Chron.* ad Rhenum habitant. Rugos ſcimus et Attilae ſe adiunxiſſe, et poſt eius fata ad Danubium in Auſtria hodierna fixiſſe ſedes.

Patebant igitur, *Celſiſſime Princeps*, a medio ſeculi quarti ad initium quinti, cum primo Wiſigothi, deinde Vandali, porro Burgundi, et poſt quoddam temporis interuallum Rugi ſedes ſuas mutaſſent, Carpi vero Baſtarnaeque in Pannoniam et Thraciam eſſent recepti, latiſſimae terrae ad Viſtulam et Viadrum in hodierna Polonia minore et maiore, Pruſſia, Pomerellia, Pomerania et parte Sileſiae ſitae et ab habitatoribus derelictae. Sed patebant etiam deſerti campi aduenientibus ex vicinia, cum tot incolae non adeſſent, qui eos colerent et defenderent. Etenim omnes homines ex terris ſuiſque ſedibus emigraſſe abſurdum eſſet vel ſtatuere vel credere. Remanſerunt etiam in his, quas memoraui, regionibus Wiſigothi, Wandali, Burgundi, Rugi, Heruli, ſed qui ob paucitatem forte lubenti animo aduenientibus nouis Venedorum colonis ſe adiungerent. Haec omnia ſi abiectis opinionibus praeiudicatis ponderare velimus, intelligemus facile, Venedos gentibus his, quae ſedes ſuas mutauerant, vicinos iam circa medium tempus quarti ſeculi, poſtquam Wiſigothi exceſſerant finibus ſuis, benignam occaſionem nactos eſſe, ſuos extendendi fines. Valebant Venedi multitudine et hominum numero, nec erant bellis attriti et attenuati, cum nationes aliae, quae vel ad Romani imperii fines ſedebant, vel ad eos venerant, ſtragibus cladibuſque ſaepe

numero

numero adeo exhausti sint, vt pristinas vires vix ac ne vix quidem recuperare possent.

Iam vero, *Princeps Celsissime*, maxime velim *Tuam* interponas sententiam, vtrum sit magis probabile, quod scilicet finitimus Venedorum populus in has, quas memoraui, terras, ingressus sit, an vero credi facilius possit, ex vltimo Oriente quosdam *Lazos*, prodiisse hodiernisque Polonis dedisse originem.

Fingamus enim, maximam etiam hodie maioris Poloniae partem desolatam iacere et a cultoribus ita desertam esse, vt quisque pro suo lubitu vacua loca occupare valeat; putabimusne Danos per Holsatiam, Meklenburgicas aliasque terras ad haec loca venturos, et domicilia sibi illic paraturos esse? Nonne finitimae vnicuique genti opportunior daretur occasio, suos proferendi fines? Sedebant Gothi in Pannonia, antequam in Italiam ingrederentur vicinam. Veniebant in Gothorum terras Hunni, qui ad fines eorum sederant. Franci diu haerebant ad Galliae fines, antequam in Galliam ipsam proficiscerentur. Gens gentem in occupandis regionibus secuta erat. Cogitemus iam Lazorum iter primo per populos Bosporanos, deinde per Sarmatiae Asiaticae partem, porro per totam Europaeam Sarmatiam. Ponamus etiam, Lazos tandem post diuturnam peregrinationem ad Venedos venisse, hosne populo exiguo, et, qui Venedis viribus plane impar erat, transitum per fines suos aut iter liberum proxime ad fines permisisse credemus, vt terras sibi vindicaret, quae si situm fertilitatemque spectemus, Venedis ipsis commodo ingenti esse potuerunt. Neque etiam Sarmatae fuerunt Lazi, quamuis id *Pastorius de Orig. Sarmat. p. 61.* velit: sententiam enim, quam amplexus est vir ille doctus, scriptorum veterum auctoritate probare non potuit,

potuit, nec etiam idoneis teſtimoniis eam hi firmarunt, qui ſunt eius opinionem ſecuti. Imo *Herodotus* et *Ptolemaeus* de Lazis alia omnia tradunt. Accedit *Procopius*, ex cuius *Libro 4. de bell. Goth. c. 1.* diſcimus, Lazos, cum Iuſtiniano imperante potentia maxime florerent, intra anguſtos tamen fines ſeſe continuiſſe, quo tempore Venedi latiſſime teſte *Iornande* in maiore minoreque Polonia hodierna et forte in vicinis etiam terris dominabantur. Erant denique Lazi ſub regio imperio, quale Venedi, vetereſque Poloni ignorauerunt, qui Principum ſiue Dominorum auctoritate publicam rem ſuam adminiſtrabant. Scio quidem *Lengnichium* virum Clariſſimum, qui noſtra aetate Polonam hiſtoriam egregie illuſtrauit, ita cenſuiſſe, gentis nomen Polacy a Lazis aptiſſime deduci poſſe; enimuero hoc in primis docendum erat, Lazos vel quarto vel quinto ſeculo ea potentia et hominum multitudine valuiſſe, vt magnas colonias (his enim opus fuit) in diſſitas nec ab incolis omnibus vacuas terras mittere poſſent, quae agros et occuparent et defenderent, et denique reliquos poſſeſſores ita ſibi ſubiicerent, vt ne nominis quidem eorum memoria apud poſteritatem ſupereſſet. Sed regnum Lazorum his temporibus et potens fuiſſe, et multitudine hominum abundaſſe, ex *Procopio*, *Agathia* et *Theophane*, *ſcriptoribus Byzantinis* probari non poteſt, quamuis id ſibi nonnulli perſuaſerint. Lego apud *Agathiam L. 4. p. 81.* quendam ex viris principibus Lazicae gentis, habita concione, plebem ad defectionem ſollicitaſſe, et multa dixiſſe de gloria, libertate et virtute populi, ſtimulaturum oratione ſua animos, vt libentius Perſis ſe ſubiicerent. Enimuero quae vir ille turbulenti ingenii in medium protulit, omnia callide ad decipiendum vulgus excogitata videntur, cum ipſe diffiteri non potuerit,

tuerit, Lazos externis auxiliis indigere, nec ſibi vel in bello, vel in pace ſufficere, atque ad eam impotentiam veniſſe, vt aliis ſubiecti eſſe cogantur. Sed obiicere quis poſſit, memoraſſe eundem tamen *Agathiam L. 4. p. 91. Ed. Pariſ.* Apſilios et Miſimianos qui Lazorum regibus paruerint, et igitur Lazi ipſi inter alias orientis gentes potentiores fuiſſe videantur. Sed et Apſilii hi et Miſimiani fuere inter gentes minores, quae nec augerent, nec etiam minuerent potentiam Lazicam, ſi ſui iuris et liberae etiam fuiſſent. Neque hoc nobis perſuadeamus, Lazos eam ob cauſam Iuſtiniani imperatoris aetate redactos eſſe ad impotentiam, quod maxima eorum multitudo ante haec tempora e regno, alias ſedes quaeſitum, exierat. Nam hanc Lazorum migrationem omnes ſcriptores veteres ignorant, quam, ſi facta eſſet, *Agathias*, qui in res populi accuratius inquiſiuit, a vicinis, quae ad Pontum habitabant, gentibus, imperio Romano ſubiectis, ſine dubio intellexiſſet. Ignotum enim id vicinis eſſe non poterat, ſi quinquaginta annos ante (ita *Lengnichio* viro doctiſſimo viſum eſt) quam Iuſtinianus Auguſtus imperaret, Lazica multitudo e ſedibus ſuis exiiſſet. Cum praeterea Perſae, quod *Agathias* animaduertit, hoc animis ſemper agitauerint, vt Lazos ſuae poteſtati ſubiicerent, putabimusne, eos, ſi innotuiſſet, incolas ſuas ſedes reliquiſſe, curam propagandorum finium adeo abieciſſe, vt occaſionem reliquias Lazicas ſub obſequium cogendi, qua non potuit opportunior accidere, praetermitterent? De lingua tandem Lazica, vtrum illa Venedica ſiue Slauica, an ab ea longiſſime diuerſa fuerit, omnia ſunt incerta. Igitur niſi ſtatuere velimus, gentes olim omnia ordine inverſo geſſiſſe, ſoli Venedi, quos ſcimus ad fines horum populorum, quos ſollicite recenſui, habitaſſe, nanciſci

 oppor-

opportunitatem potuerunt, ingrediundi in terras ab incolis, quorum maxima pars emigrauerat, pene vacuas: quas tamen non vno quasi impetu, sed pedetentim et gradatim occupauerunt, ita vt iam circa medium quarti seculi, quod me supra innuere memini, fines in maiore et minore Polonia extenderent, postquam Gothorum multitudo ad Pontum concesserat.

Est in ea opinione Cl. *Schwartzius in Geographia Germaniae septentrionalis, p. 12.* hos, qui e regionibus ad Vistulam et mare Sueuicum sitis, non exierant, inuitasse vicinos Slauos, siue Venedos, vt terras vacuas desolatasque excolerent, vt deinde quasi quidam populus nouus ex permistione Germanorum Venedorumque prodiret. Ex quo etiam hoc vult vir ille doctus conficere, quod initio temporis Venedi omnia ex arbitrio Germanorum egerint. Enimuero vt sunt, quae ad formam veteris reipublicae, postquam Venedi ad reliquias Germanorum venerunt, pertinent, maxime obscura, ita etiam existimo, fines eos ex sua voluntate et inuitis forte Germanis (exemplo aliarum gentium) propagasse, cum a nemine prohiberi possent. Cum praeterea plurimum potentia valerent, probabile non est, paruas veteris populi reliquias leges advenientibus dare potuisse; praesertim cum sciamus paulo post in terris quas Venedi occupauerant, cuncta more Venedico peracta esse. Imo nomen Venedici populi statim ita inualuit, vt veteres scriptores, qui res septentrionis memoriae tradiderunt, terras ad Sueuicum siue Balticum mare sitas, Windlandiam appellarent, quod nomen a Vinidis siue Venedis, non vero a Vineta celebri olim Pomeraniae vrbe est, licet Schwartzio ita visum fuerit. Vinidi siue Venedi terras omnes, a Vistula ad Eidoram versus successu temporis in potestatem acceperunt, vt proinde

proinde eae nomine Windlandiae siue Wendlandiae aptissime venire possent. Et accuratius sane historici septentrionis quam rerum Germanicarum scriptores ea in re versati sunt: qui cum scirent, Venedos in Vandaliam veterem venisse, male eos cum Vandalis confuderunt, qui error tam altas mox radices egit, vt etiam Principes quidam, qui Venedos in potestatem acceperunt, Wandalorum se reges appellarent.

Aliquot effluxerunt secula, antequam Venedi Francis innotescerent, quod factum demum, cum Franciae principes aduersus Saxones bella gererent. Interim vero in his regionibus, quas sibi in Germania nostra vindicaverant, opes tantas, potentiamque Venedi consecuti sunt, vt circa annum 748. quo Pipinus Maior Franciae Domus secundum *Metenses annales* bello Saxonico occupatus, in castris ad *Obacram* (Okeram) fluuium stabat, Slauici siue Venedici principes ad eum venirent, auxilia centum millium hominum contra Saxones offerentes. Ab hoc vero tempore Venedi Slaui apud Francos propter bellicam virtutem coeperunt inclarescere, quorum res praeclare gestae huc tamen non pertinent, cum non tradenda sit populi Venedici historia. Id vero obseruandum est, Venedos nostros, qui in Poloniam terrasque vicinas sunt ingressi, minime confundendos cum Slauis Vinidis esse, qui in Illyrici veteris prouincias venerunt, et deinde in Morauia, Boiohemia et Misnia nostra visi sunt. Hi fines suos demum propagauerunt post Venedos nostros, licet Francis citius innotuerint. Sedebant enim ad fines regni Francici, veterisque ducatus Bauarici, postquam Marchiam, quae Venedica ab iis dicitur, sui iuris fecerant, vt cogeretur iam Dagobertus rex Francorum anno

630. contra Samonem, quem ſibi regem praefecerant, bellum, ſecundum *Fredegarium in Chron. c. 68.* gerere.

Ex his vero, *Celſiſſime Princeps*, quae auctoritate veterum ſcriptorum, quorum veſtigia diligenter ſecutus ſum, diſputaui, intelligis, Polonicas origines ad altius tempus, quam ſolet vulgo fieri, referendas eſſe, quoniam hoc dubio caret, potentiſſimos Venedorum finitimos VViſigothos iam quarto ſeculo e terris ad Viſtulam et mare Sueuicum ſitis exiiſſe. Quam ob rem etiam ſcriptores, qui Lechum cum colonia ſua ſeculo demum VI. aut VII. in hodiernam Poloniam veniſſe, cenſeant, hallucinari videntur. Etenim terra latiſſime patebat ſeculo IV. nec perſpicio, praeſertim ſi intuear in eius temporis ſcriptores, quae potuerit gens impedimento Venedis eſſe, ne pro lubitu ſuo patentes illos campos occuparent.

Sed tandem etiam, *Celſiſſime Princeps*, tangenda illa quaeſtiuncula eſt, vtrum Lechus, primus omnium in has terras, in quibus Poloni iam dominantur, coloniam duxerit? Varii varia de Lecho diſputarunt, et inuenti ſunt, qui omnem de eo hiſtoriam ad fabulas referrent, quorum in numero videmus etiam *Lengnichium* et *Dobnerum* Viros de hiſtoria bene meritos. Haec vero, *Celſiſſime Princeps*, TIBI omnia nota ſunt, vt TVA patientia abuterer, ſi cramben iterum, toties iam coctam, nec melius aut ſuauius conditam, apponerem. Dicam igitur, quod ſentio, paulo liberius. Negant viri docti Lechum vnquam extitiſſe, fateri vero coguntur, a maioribus hoc traditum eſſe, quendam principem virum huius nominis inter ſuos auctoritate et fama adeo exſplenduiſſe, vt et poſteri eius, et hi, quos in poteſtate habuit, ab eo Lechitae appellarentur. Sed dicunt, nullam tamen mentionem Lechi a ſcriptore

coaeuo,

coaeuo, aut ab eo, qui proxime post haec tempora viveret, factam esse; imo *Dobnero* etiam *Baguphali* (licet hic scriptor ad tempus longe recentius pertineat) codex propter interpolationem suspectus esse videtur. Sed vt ab hoc ordiar, vir ille clarissimus ea in re vehementer erravit, et sine dubio aliter pronuntiasset, si licuisset oculis suis librum in *Rhedigeriana Wratislauiensi bibliotheca* vsurpare, quem ego saepenumero manibus meis versaui, et nonnulla ex eo exscripsi, quae deinde in lucem publicam prodierunt. Est certe codex bonae notae, et a librariis negligentibus sciolisque minime corruptus. Boni etiam viri minus acute sentire videntur, cum sibi aliisque persuadeant, vnius modo scriptoris, qui praeterea recentiori tempore res memoriae prodiderit, testimonium et suspectum esse et nihil momenti habere. Etenim nec vnicus testis, vel vanitatis, vel etiam falsitatis nota laborabit, nisi probemus alios de eadem re aliter scripsisse, et in medium ea protulisse, quae maiori nitantur veritate. Etiam, quae tradita a maioribus habemus, non praecise statim abiicienda, aut ad aniles fabulas ableganda sunt, cum antiquissima historia traditiones sequatur. Vituperanda illa nimia et quasi caeca credulitas est, sed redarguendi quoque hi, qui sunt nimis increduli, nec res ponderare solent secundum probabilitatem et verisimilitudinem. Etenim si ea, quae sunt narrata et tradita, personis, temporibus et locis consentiant, si porro similia facta et euenta occurrant, si praeterea cum hominum opinione non pugnent, et moribus etiam conueniant, minime improbabilia erunt. A silentio vero coaeuorum tunc demum ad falsitatem est concludendum, si res non cohaereant, aut similia exempla deficiant. Quid dicerent optimi viri, si ego vel Romulum vel Piastum, a quo

Piaſti ſunt, fuiſſe negarem. Habueruntne Romani ſcriptorem, qui vel aetate Romuli, vel paulo poſt eam res ab illo geſtas memoriae tradidit? Nonne traditionem ſcriptores omnes ſecuti ſunt? Ab iiſdem ſcriptoribus, et iis quidem multum recentioribus, qui Lechum memorauerunt, etiam Piaſti memoria ad poſteritatem eſt propagata. Igitur cum Lecho Piaſtus quoque ex hiſtoria Polona erit eiiciendus. Summa eſt cautione opus, ſi res vel negandae, vel affirmandae ſint, ne in eas difficultates incidamus, ex quibus deinde nos extricare vix valeamus. Cur vero Lechus et Lechitae ſunt inuiſi? Non poſſunt viri docti Edomitas, Moabitas, Cananitas, Chamitas ſiue Chamaeos, et plures alios ignorare, qui nomen ſuum a patribus familias acceperunt. Nolo Arabes recentiores memorare, inter quos fuerunt tantae auctoritatis viri, vt qui a partibus horum ſtarent, nomina quoque eorum geſſerint.

Conuenit etiam mos ille cum Venedorum gente, quae olim erat in plures familias diuiſa. Et nonne potuit in his Lechi familia ita caput extollere, vt Lechitarum nomen inualeſceret? Etenim ita cenſeo. Seculo iam IV. potentes plures Venedorum familias in maiorem minoremque Poloniam veniſſe, in quibus illa Lechi inprimis eminuiſſe videtur. Cauſam non video, cur inter nobiles potenteſque Venedos Lechus eſſe non potuerit, imo vixiſſe ipſum et gloria excelluiſſe tradiderunt maiores. Abſurdum autem eſſet Lechitas negare, cum nomen eorum et fama ad Graecos, qui ſeculo XII. ſcripſerunt , penetrauerit. Sed vnde deduces nomen, niſi Lechum, virum principem inter ſuos, admittere velis? Legi atque relegi, quae a viris doctis contra Lechum ſunt diſputata, videoque cauſam eos idoneam, quae facere poſſet, vt Lechus de numero hominum eximatur, non interpoſuiſſe. Etenim ſi reiiciendum

dum

dum ſit, quod communi quaſi conſenſu traditum, a maioribus accepimus, pugnandum rationibus exquiſitis, et veritas eius rei, quam aſſerimus, eſt probanda, praeſertim ſi hoc etiam agatur, vt lectoribus perſuadeamus, id, quod factum dicitur, incredibile eſſe. Habent Venedicae ſiue Slauicae gentes aliae nomen a ſedibus ad flumina; vt Tollenſes, Circipani, Hauellani; aliae ab vrbibus, vt Redarii, Kiſſini, Lebuſii: aliae a capitibus familiarum, vt Obotriti et Welatabi. Et eſt hoc maximae probabilitatis, quae proxime ad veritatem accedit, Polonorum nomen, quod exteri, praeſertim vero rerum Germanicarum ſcriptores finxiſſe videntur, a Lecho eſſe. Nam ſomnia tradiderunt, qui a planicie, ſiue Planis campis, Pole id deducerent. Etenim ſi hoc eſſet, Obotriti etiam et Pomerani, et Slavi reliqui, qui hodiernas Marchias Brandenburgicas inhabitauerunt, nomine Polonorum indigitandi fuiſſent. Venedi vero, qui hodiernam tenent Poloniam, nec ipſi Polonos ſe appellauerunt, nec eo nomine ſunt inſigniti a vicinis originis Slauicae gentibus. Is, qui Polonam hiſtoriam primus a fabulis purgauit *Martinus Cromerus*, *Praeſul*, *Varmienſis*, vir eximiae eruditionis, vidit ab incluto familiae capite Lecho poſteros eius Polechy vocatos eſſe. Non poterat non vehementer haec opinio ex ipſo linguae Slauicae genio deducta, his, qui ſunt ſoliti inueſtigare res antiquas, placere, quam ego iam, poſtquam ea legi, quae abs TE, *Celſiſſime* Princeps, et eleganter et erudite in *Vindiciis Lechi p. 146.* diſputata ſunt, totam amplector. Confidenter enim profiteor, nulla vel aſſentatione vel adulatione ductus, factum eſſe TVA, *Celſiſſime Princeps*, limata perpolitaque doctrina, vt exiſtimem, in poſterum neminem futurum eſſe, qui dubitare porro poſſit, an quidam Lechus Princeps Venedicae gentis fuerit. Etenim clare et perſpicue ex TE cognoui, a

Lecho

Lecho Lechitas, et Polechy, id eſt, a Lecho venientes, eſſe, atque ex diuerſa pronuntiatione Polechy vocem in Polachy abiiſſe, quo nomine hodierni Poloni a Coſacis, Seruiis, Ruſſiſque veniunt. Vehementer ſane gauiſus ſum, quod TV, *Celſiſſime Princeps*, in primis noſtra aetate inventus ſis, qui ex penitiore ſermonis Slauici intelligentia, qua omnes huius temporis doctos homines anteire videris, doceres eruditos, ipſum Polechorum ſiue Polachorum, (quos exteri Slauicam linguam ignorantes, cum latine ſcriberent, et forte Slauicam pronuntiationem vel corrumperent, vel minus idonee exprimerent, Polonos, Polenos, Polianos appellauerunt) nomen Lechi conditoris gentis memoriam egregie conſeruaſſe. Sed forte, cum pedibus quaſi in hanc ſententiam eam, hi, quibus Lechus diſplicet, etiam me ad turbam inſulſam et incredulam reiicient. Enimuero hoc lubenter iis largior, vt ingenio ſuo abundare poſſint. Profiteor tamen ingenue, hunc me tanquam Apollinem quemdam laudaturum, qui aptiſſime et egregie docuerit *Lechum* non extitiſſe. Ineſt in ipſis rebus ſaepius quaedam obſcuritas, quas propterea facile negare poſſumus; enimuero difficilius eſt, quae ſunt obſcura, in lucem e tenebris euocare, vt probabilia fiant et aperta.

Tantum, CELSISSIME PRINCEPS, vt voluntati TVAE obtemperarem, ſcribere volui. Quae de *Venedis* Reipublicae Polonicae conditoribus dixi, non ex ingenio ficta, ſed multo ante meditata ſunt. Nec me vnquam huius ſententiae, quam propoſui, poenitebit, praeſertim cum non leuibus illa coniecturis, ſed veterum auctoritate nitatur; quam ſi TVO etiam aſſenſu probaueris, beatum me putabo. Viue feliciter, CELSISSIME PRINCEPS, et optime vale, meque, quod vehementer peto, dilige. *Dabam Vitebergae Saxon. A. O. R. cIↄIↄCCLXXI. D. 27. Menſis Auguſti.*

SCHE-

SCHEDIASMA

DE ZICHIS

AD CZECHOS DESIGNANDOS

EXTORSIS

TVM DE ERRORIBVS A P. DOBNERO

IN LINGVA GRAECA COMMISSIS

AVSPICIIS CELSISSIMI S. R. I. PRINCIPIS

IOS. ALEXANDRI IABLONOVII

MAECENATIS MEI

ET LITTERARVM STATORIS OPTIMI

---

per Eugenium Bulgari, Graecum natione, sacrarum litterarum Doctorem, et Bibliothecarium in Aula Petropolitana.

De Zygis, et Zicchis, vel Zichis, Ponti Euxini accolis?

Et, an ex iis, (Lechis postmodum apud Latinos dictis) Czechi Bohemici effici possint?

---

§. I.

Zυγοι, *Zygi*, atque paronymice Ζυγιοι, *Zygii*; vnde nomen gentile formatum Ζυγιανος *Zygianus* (Steph. Byzant.) gens vna fuit inter alias bene multas, quae origine, genio, moribus, nomine diuersae orientaliora Ponti Euxini littora accolebant; vt apud omnes testatissimum est.

Zygios appellauit Dionysius in descriptione orbis; dissitosque a Sauromatis, aliisque internumeratis populis, post *Achaeos Heniochosque*, *Colchis* tandem *Zygios* finitimos collocauit; cum ita scripsit vers. 680 — 689.

Sauromatas vero excipiunt - - -
Sindi, Cimmerii, et qui prope Euxinum
Cercatiique Oretaeque, et strenui Achaei. — —
Post hos autem habitant vicinam terram tenentes,
Heniochi, Zygiique, e Pelasgica oriundi terra.
Ad recessum autem vltimum Ponti, post terram Tyndaridarum,
Colchi habitant, aduenae Aegypti.

 Graecos

Graecos origine fuiſſe Zygios iſtos, expreſſe idem auctor ſcribit, *e Palaſgica oriundos terra* eos declarans; ſolumque quod habitauerant, *terram* appellans *Tyndaridarum.* Quae enim de duobus illis celebrium coloniarum ducibus; ſeu *Rheca* et *Amphiſtrate;* ſeu *Amphito* et *Certio,* ſiue *Crecio*, vel *Telchio* tradita ſunt; quippe qui aurigae perhibentur fuiſſe *Caſtoris* et *Pollucis*, et de quibus Strabo, Plinius, Pomponius, Iuſtinus, Iſidorus, Marcellinus, Euſtathius ex Charace auctore vetuſtiſſimo omnes paſſim memorauerunt; quin de *Zygis* aeque ac de *Heniochis hic* Dionyſius aſſeruerit, haud dubitare nobis permittit; quippe qui poſtquam a *Pelaſgica* terra ortos, terram autem *Tyndaridarum* eos incolentes aſſeruit, mox *Colchos* illis finitimos, alterius extitiſſe originis notare curauit; nempe Aegyptiacae a praedictis ſane, quos Graecos antea declarauerat, excepturus.

Eandem hanc gentis originem, et nomen ipſum *Zygorum*, ſeu *Zygiorum* probe euincit. *Ζυγος* enim Graecis *iugum* ſignificat; et *ζυγιοι*, *iugales* ſunt; vnde *ζυγιοι ιπποι*: *equi iugales;* qui diſtinguebantur a *σειρασφοροις*, vel *παρασειροις*; id eſt ab *equis* quadrigarum *funariis*; ſimplici vinculo quadrigis curribus vtrinque applicatis. *Zygiorum* autem nomine deſignatos illos fuiſſe eadem, aut prope ſimili de cauſa, qua eorum contermini *Heniochi* dicti ſunt, vel maxime mihi probabile eſt. Cur enim, vt iſti *Heniochi* (aurigae), ſic illi *Zygii* (iugales) non dicerentur; alteris quidem *ex habenas tenentibus*, alteris *ex iunctis equis* poſito nomine; vt ex parte ſaltem vtrique genti memoria ſeruaretur communis originatio? Quod ſi cui mea iſthaec coniectatio minus placuerit, vocentur *Zygii*, quatenus *montani*, et adhuc origo ipſis Graecanica ſarta tecta manebit; quia *ζυγους ορεων*, *iuga montium* Graeci aeque ac

Latini

Latini nominare solent. Montanos vero fuisse *Zygios* constat, tum ex Dionysio, qui finitimos eos Colchis posuit vers. 690.

Prope Caucasum qui sunt - - -

tum ex Strabonis Geographia, qui asserit, quod *ora Achaeorum, Zygorum, et Heniochorum, maxima sui parte est montosa; vtpote portio Caucasi.* Lib. XI. p. m. 758. Edit. Amstelodam. an. 1707. Quinimmo et multo montosior ora fuit *Zygorum*, quam *Heniochorum;* si quidem, vt idem Strabo narrat, Mithridates ex auita ditione in Bosporum fugiens, *Heniochorum regionem facile sibi peruiam inuenit; sed de Zygiorum transitu spem omnem abiiciens, ob locorum difficultates istorum, aegre per oram incessit, plerumque mare conscendens, donec ad Achaeos venit.* Id. ibid. pag. 759.

Ordo, quo Dionysius in exponendis ante dictis populis vsus est, vtrum ne locorum situi accurate conueniat; vel sermo poeticus ad metrum auctorem adstringens aliquanto transuersum egit? Non plane vana suspicio fuerit. Enumeratio a plaga Boreali austrum versus procedens, *Cimmerios* certe anteriores *Sindis*, obuios enumeranti sistebat; sed ista ex necessitate fortasse metrica ductus praepostere notauit, *Sindi, Cimmerii;* cum *Cimmerii, Sindi*, debuisset. *Cimmeriis* mox addidit *Cercetas, Oretasque;* denique *Achaeos, Heniochos, Zygios, Colchos.* Quoad *Cercetas* tamen atque *Zygios*, eadem forma fuit Artemidori apud Strabonem Lib. XI. pag. 760. recensionis ratio; qui *Cercetas* a *Batis* locauit ad 850. stadia per oram porrectos; post *Cercetas* statim *Achaeos*, ad 500. Inde *Heniochos*, ad 1000. Dehinc a Pityunte magna ad 360. stad. tractum, vsque Dioscoriadem assignauit, quae esset *Zygiorum* regio. Ptolemaeus quoque Casaubono notante (vbi sup. ad Not. l. in Strab.) *Cercetas*

tas priores in recensione posuit; deinde *Achaeos.* Sic et Ammianus Marcellinus Lib. 22. *Circetas* appellans, annexos esse *Achaeis* dixit. Et Mela post *Heniochos, Achaeos, Cercetas*, ex ordine statuens, progressu ab Austro ad Boream, vti videtur, eiusdem fuit opinionis. An vero et Plinius Lib. VI. cap. 3. qui post *Achaeos*, atque *Mardos*, Cercetas posuisse fertur? iudicare nequeo, cum liber non adsit prae manibus. Sed Strabo tamen (vt sup. et etiam Lib. II. pag. 191.) auctoribus qui res conscripsere Mithridaticas maiorem adhibens fidem, primos statuit *Achaeos*, deinceps *Zygos*, *Heniochos*, *Cercetas*, *Moschos*, *Colchos* etc.

Ac de *Zygis* sane, quod eorum inter *Achaeos* atque *Heniochos* positio iustior sit, quam si ponantur post *Heniochos*, indubitatum firmumque manet, si modo vera sit, quae de Mithridatis fuga, paulo superius indicata fuit ex ipso Strabone historia. Qui enim rex iste ad *Achaeos* tendens, exindeque ad *Bosporum*, facto prius per *Heniochorum* terram itinere, *Zygiorum* postmodum regionem sibi imperuiam inuenire poterat, nisi regio ista, hinc ad austrum ab *Heniochis*, illinc ad Septentrionem ab *Achaeis* intercepta fuisset? Sed de Cercetis, quos antiquissimi Geographi tam immani locorum seposuere distantia; aliis ad *Cimmerios* vsque eos relegantibus, aliis *Colchis* quam proximos eos facientibus: mirari subit! Sed et mirari quidem non minus Professoris Hasii inaduertentiam, qui in Mappa Asiae minoris, Ponti Euxini, ac Paludis Maeotidis, ad normam veterum auctorum ac recentiorum, an. 1745. edita *Cercetarum* regionem post *Aspungitanam* designans, ita inscripsit: *Cercetae Strabonis.* Nil dicto falsius! Et situs profecto *Cercetarum* proprius *Strabonicorum* quaerendus erat Hasio circa Phasim fluuium, versus *Moschos* et *Colchos*; vbi fortasse *Zydreïtas* suos Arrianus, in Periplo

Ponti

Ponti Euxini collocauit. Quod mihi confirmat et Iohan. Guilielm. Stukius in Schol. in dicto periplo, dum ita commentatur: Ζυδρεῖται; *Zydreitae videntur omnino illi esse, qui a Strabone* Lib. XI. *Cercetae appellantur; vbi Achaeos, Zygos, Heniochos, Cercetas, Macropogones ex ordine ponit.* Et Id. Lib. XII. *Trapezunti et Pharnaciae imminent Tibareni, Chaldaei, Sanni, prius Macrones nominati, et Appaitae his locis quodammodo proximi, qui prius Cercetae dicebantur.*

Sed ad Arrianum veniamus. Hic in praefato suo periplo, nullos *Zygos*, vel *Zygios* memorat, nullos itidem *Cercetas* ex nomine nouit; *Zydreitas* tantum habet, et *Zichos*. Idcirco commentator eius praelaudatus Stukius, vndiquaque se vertens, vt lumen aliquod de his auctori suo affundat, nunc ex Arriani *Zydreitis* aliorum vetustissimorum Geographorum *Zygos* facit; paulo tamen subdubitans: *nisi quis malit eosdem esse, qui Zygi appellantur;* nunc vero pro *Cercetis* eos Strabonis (et fortassis probabilius) agnoscit, vt iam superius adnotauimus: *videntur omnino illi esse, qui a Strabone* Lib. XI. *Cercetae appellantur.*

Arrianus, Trapezunte orientem versus procedens, *Trapezuntiis*, inquit, *finitimi sunt Colchi, et Drillae Xenophontis, quos ipse Sannos vocat; quos attingunt Machelones, et Heniochi; quibus vicini Zydreïtae, Zydreïtis autem vicini Lazi; Lazis Aspilae; Aspilis Abasci; Abascis Sanigae; vbi Sebastopolis.* Idem auctor inferius, a fluuio Phasi ad Septentrionem progrediens, perueniensque ad fluvium Achaeuntem; *per hunc* (Achaeuntem) ait Ζίκχοι, *Zicchi*, et *Sanichae separantur.* Duae hic occurrunt gentes; *Zydreïtarum* vna, de qua non nisi ex coniectura Stukius loquutus est, cum ingenue fassus sit, *nullam se hocce nomine gentem*

gentem apud auctores reperire potuisse; quam proinde nos quoque praetereamus, vtpote ακατονομαστον; altera vero gens est *Zicchorum;* quae perinde ac illa, saltem apud Dionysium atque Strabonem, sub hoc proprie nomine *Zicchorum* ακατονομαστος fuit; licet apud alios auctores nomen eius, cum leui aliqua diuersitate prolatum, subinde occurrat.

Vtrum vero *Zicchi* illi Arriani, quos a *Sanicharum* populo Achaeus amnis interfluens separabat, ipsi *Zygi* proprie Dionysii atque Strabonis sint? An Ζιγχοι και Αριγχοι: *Zinchi* et *Arinchi*, quos Ptolemaeus in Descript. Sarmat. Asiat. inter Maeotim et montes Hippicos posuit? An *Sinchi* quos Marcellinus Lib. XXII. similiter vna cum *Arinchis* atque *Napaeis*, *Tauris* annumerauit? An *Zingi* denique quos Plinius Lib. VI. cap. 7. inter Cimmerium Bosporum, et Tanaim collocauit? Vadem hic quodammodo se praebere, saepius laudatus Stukius ausus est; *hi postremi*, inquiens, (id est Zingi,) *quorum hic Arrianus meminit.* Sed an et Achaeunta fluuium, qui *Zicchos* et *Sanichas* iuxta Arrianum separabat, inter Cimmerium Bosporum atque Tanaim, aquas suas exonerasse dicendum? hoc dici non potest, cum probe sciamus, Arriano ipso indicante, non ad Paludem Maeotidem, sed longe procul ab ea, in Pontum nempe Euxinum, Achaeunta exitum habuisse; et quidem vbi vetus Achaia fuit, et antiqua Lazica. Haec eadem, ex Achaeuntis fluuii proximitate, desumta nota, vt *Zinchos* Ptolemaei, et *Sinchos* Marcellini, pro *Zicchis* Arriani habeamus, haud permittit. Locorum positio attente considerata, longe probabiliorem reddit *Zicchorum* Arriani, cum *Zygis*, vel *Zygiis* Dionysii atque Strabonis conuenientiam.

Constan-

Constantinus Porphyrogenneta in Lib. de Administr. Imper. cap. 42. et 53. ad finem distinctam de *Zichis* mentionem fecit, quoad nomen ipsum, si leuis negligatur illa interiecti K omissio; sed et hic quoque Topica, seu localis differentia nominali aduersatur similitudini; cum longe aliam positionem et isti *Zichis* tribuerint, quam Arrianus *Zicchis* suis. Guilielmus de l' Isle in adnotationibus ad tabulam geographicam in Constantin. Porphyrogen. *Zichiam* (inquit) *suam Arrianum, eodem quo Constantinus loco posuisse.* Huic plane assentiri videtur P. Athanas. a S. Iosepho in prima disquisitione historico - chronologico-critica *de tempore quo Bohemia adpellata fuit Czechia;* cum ait: *Vetustissimus scriptor Arrianus Nicomediensis, Zichiam quidem eodem ponit loco, quo Constantinus Porphyrogenneta.* Equidem noluerim ego praestantissimis viris erroris notam inurere; attamen cogente rei veritate, vt libere quod sentio dicam, longe dissitos perspicio terminos Mysorum Phrygumque, prout in graecorum prouerbio dicitur. Porphyrogeniti *Zichia* extenditur *ab Veruch fluuio vsque ad Nicopsim flumen* (vbi sup. cap. 42.) ad spatium milliarium trecentorum; seu stadiorum 2250. Et extra hunc terminum collocatur a Porphyrogenito *Abasgia.* Nam *quae mari adiacet regio*, vt idem inquit, *a complemento Zichiae, siue Nicopsis fluuii, vsque ad vrbem Soteriopolim, Abasgia est, per spatium itidem milliarium trecentorum* (Ibid.). Sed *Zichia* Arriani extra assignatos a Porphyrogenneta istos excurrit cancellos, vtpote quae prope Achaeunta fluuium, sita esse supponitur; per quem (vt idem Arrianus ait) *Zicchi* et *Sanichae separantur.* At Achaeus fluuius ad Austrum ab Achaia antiqua 80. fere milliaribus; seu stad. 600. distat. Numerauit etenim Arrianus ipse ab Achaeunte ad Promontorium Heracleum

 stad.

ſtad. 150. Inde ad aliud Promontorium, cuius nomen proprium non affert, ſtad. 180. Inde ad eam quae dicitur vetus Lazica ſtad. 120. Hinc ad Achaiam antiquam ſtad. 150. ad quam fluuius Nicopſis praedictus pertinere videtur, prout et ex Haſii praelaudata mappa geographica conſtat. Vnde ſequitur, *Zichiam* Arriani ſitam fuiſſe in *Abaſgia* Porphyrogennetae, *Zichiam* vero Porphyrogennetae magis ſeptentrionalem extitiſſe; in ea nempe regione, in qua Dionyſius *Cercetas* ſuos, et *Oretas*, et *Sindos* conſtituit. Quamobrem Euſtathius in commentar. ad Dionyſ. hic *Zichos* et ipſe retulit, quos et *Sindos eſſe dictos* aſſeruit, *ex quorundam ſententia:* Σινδοι οι και Ζικχοι λεγομενος κατα τινας. Ex ſententia ſane Porphyrogennetae, ad quem probabile eſt Euſtathium reſpexiſſe, neutiquam vero ex ſententia Dionyſii, vel Strabonis, quibus nomen (ſub hac expreſſione) *Zicchorum* fuit prorſus ignotum. Neque ex ſententia ipſius Arriani, qui licet *Zicchos* nouerit, procul tamen a *Sindis* ſitos fuiſſe ſcivit; quando *Sindicam* regionem ad 450. ſtadia vltra portum *Pagrae* poſuit; regionem vero *Zicchorum* multo citra, circa fluuium videlicet *Achaeunta*, vt ſubinde dictum eſt.

Ex hucuſque dictis, ſequentia nobis ſtatuere liceat, firmiterque tenere:

1. Quod *Zygorum*, vel *Zygiorum* gens, ex Dionyſio atque Strabone, nec non ex Artemidoro, quem Strabo quoad ordinem poſitionis non ſequitur; gens fuerit neque *Tanaïtica*. neque *Maeotica*, ſed *Pontica*, et quidem longo interuallo a Palude Maeotide; et longiore adhuc per conſequens a flumine Tanai diſſita.

2. Quod *Zygi* vel *Zygii* Dionyſii, Strabonis etc. Graecae fuerint originis, prout ex ipſis auctoribus antiquiſſi-

quiſſimis indicatur; ex vetuſtiſſimis verae, aut fabuloſae hiſtoriae documentis elucet; et ex ipſa nominis vi atque ſignificatione tandem euincitur.

3. Quod *Zicchi* Arriani, qui per interfluentem Achaeuntem a *Sanichis* ſeparabantur; quique ex ipſo Arriano, tractum illum coluiſſe perhibentur, regionis quae *antiqua Achaia* vocabatur, et alterius conterminae, quae *vetus Lazica*; veroſimillime *Zygi*, vel *Zygii* Dionyſii atque Strabonis ſint, eiuſdemque cum iis, (licet paulo mutato nomine) Graecae originis.

4. Quod *Zinchi* Ptolemaei, *Sinchi* Marcellini, *Zingi* Plinii, prae locorum diuerſitate, in quibus deſignati ſunt, *Zygi* vel *Zygii* Dionyſii, atque Strabonis eſſe nequeant. Immo vero, neque ipſi *Zicchi* Arriani, quos nominetenus et *Zicchi* Porphyrogennetae, et *Zicchi* Euſtathii, pro Sindis, ex quorundam ſententia accepti, repraeſentarunt.

5. Quod apud memoratos omnes ſcriptores, *Zygi* vel *Zygii* per litteram *ypſilon* ſcripti reperiantur; *Zinchi* vero, *Sinchi*, *Zinchi*, *Zicchi*, *Zichi*, vt et *Sindi* quorum loco *Sindi* ex Euſtathio ſubſtituti ſunt, per litteram *i*. Hoc autem pro certo affirmari poteſt, quod nuſquam ante VI. ſaeculum, vel per H Ζηχοι graece, vel per *E Zechi* latine, expreſſi inueniantur. Si quis inuenerit alicubi, indicet locum, vt nos quoque ſciamus.

Primum apud Procopium Caeſarienſem, qui ante an. Chr. 549. Hiſtoriam de Bello Perſico ſcripſiſſe non potuit; neque ante an. 554. eam de Bello Gothico; primum, inquam, apud Procopium (quod ego ſciam) Ζηχοι, vel addito Κ Ζηκχοι per vocalem H ſcripti leguntur. Vtrum vero auctoris ipſius genuina ſcriptio ſit, vel per manum deſcriptoris poſtmodum irrepſerit, iure dubitari poteſt.

1. Etenim qua ratione, quaue de causa Procopius ductus pro Ζικχοις (per I) Arriani, Ζηκχους (per H) scribere maluerit? An quod vnisona H atque I iudicauerit? Sed standum erat potius consueta, et vsu iam comprobata a veteribus orthographia; cum et reliqui, praeter Arrianum, scriptores, *Zinchos*, *Sinchos*, *Zingos*, *Zicchos*, *Zichos*, *Sindos* suos, omnes per *I* scripsissent.

2. Cum in editis Procopii libris, nunc Ζηχοι (sine K) Lib. II. de B. Pers. Nunc Ζηκχοι (adiecto K) Lib. IV. de B. Goth. ad designationum vnius eiusdemque gentis legantur; neque varians haec scriptio, prudenter auctori ipsi Procopio, assignari possit; aequo iure et varietas illa substitutionis litterae H pro littera I in nomine Ζηκχων pro Ζικχων, amanuensium vel incuriae, vel indifferentiae tribuenda est.

3. Incuria, vel indifferentia ista descriptoris duplici ex capite potuit euenire. Primo ex eo quod nomen sibi extraneum atque barbarum videretur, orthographiae regulis Graecanicae minime parens. Deinde quod sciret, a substitutione H pro I, pronunciationem nominis, modicam, aut fere nullam alterationem passuram esse; adeoque proinde sonaturum, quomodocumque terminus scriberetur; satisque se facturum ita putaret, si modo expressioni subiecto nomini requisitae ad amussim correspondentem litteram exarasset. Vtut tamen circa hoc res se habeat, si quis etiam scripturam Ζηκχων, non Ζικχων (per H, non per I) ipsius esse Procopii genuinam contendat; at id tamen omnino extra dubium ponendum esse existimamus, quod Procopius per suos Ζηκχους, non alios quam ipsos Ζικχους Arriani intellexerit, et exprimere voluerit; id quod facta auctorum comparatione clarissime patebit.

Proco-

Procopius de Bell. Perſic. Lib. II. cap. 29. ſic habet: *Ibi* (e regione extremitatis Caucaſi) *cum aliae gentes multae ſedes habent, tum Alani, atque Abaſgi, veteros chriſtianorum et Romanorum amici. Zechi* praeterea: (Ζηχοι vt in originali textu legitur) *poſtque hos Hunni cognomento Sabiri.* Et de Bell. Goth. Lib. IV. cap. 4. *Trans Abasgorum fines . . . . Ponti Euxini littus Zecchi* (in Origin. Ζηκχοι) *inſederunt. Zecchis* (Ζηκχοις) *porro regem dabat Romanus Imperator . . . . . ipſis vlterior eſt Sagidarum regio.* Vbi notandum 1. hic ſermonem eſſe de populo oras maritimas incolente, *ad littus Euxini Ponti.* 2. Progreſſu a plaga inter ortum auſtrumque, ad plagam inter occaſum et ſeptentrionem, facto, primos poni *Abaſgos*, deinde *Zechos* vel *Zecchos* (Ζηχους vel Ζηκχους) *trans Abasgorum fines; poſt* hos vero *Sagidas: ipſis vlterior eſt Sagidarum regio.* 3. Notandum, quod *Zechis* hiſce vel *Zecchis* (Ζηχοις vel Ζηκχοις) *regem olim dabat Romanus Imperator.* Atqui tria haec adnotata ſimiliter in Zicchis (Ζικχοις) Arriani obſeruantur; nam et Arrianus in periplo ſuo; 1. per oram littoralem Euxini Ponti ſimiliter factum a ſe excurſum, vel potius circumnauigationem ſuam exponit. 2. Eodem progreſſu Boream verſus atque occaſum pergens, poſt *Niticam*, *Abaſcum* fluuium ponit; ex quo *Abaſci* populi, vel *Abaſgi;* et regio ipſa *Abaſcia*, vel *Abaſgia* nomen videtur accepiſſe; deinde Ζικχους, *Zicchos;* denique *Sanichas*, qui veroſimillime fuerunt Procopii Caeſarienſis *Sagidae.* 3. Idem quod Procopius de *Zecchis* ſuis enarrat; ipſis nempe olim a Romanis imperatoribus reges datos fuiſſe; iam et Arrianus de *Zicchis* antea affirmauit, ad imperatorem Hadrianum ſic ſcribens: *Zicchorum Rex eſt Stachemphax, qui a Te Regnum habet.* Ex quibus omnibus quis non facile perſpicit, Ζηκχους Procopii, ipſiſſi-

ipsissimos esse Arriani Ζικχȣς? eundemque populum et re, et nomine vnum? Sed hoc concesso; quod nisi quis praeconceptae suae opinionis admodum tenax, nemo negauerit; ergo verosimillimum esse fatendum ipsum quoque Procopium, vel Ζικχȣς (per I) ad normam antiquiorum dictasse atque scripsisse; vel si etiam Ζηκχȣς (per H) ipse scripserit, ita tamen legisse atque pronunciasse, proinde ac si per I legisset atque pronunciasset. Itaque diuersitatem scriptionis, quae apud Procopium primo occurrit, nihil in nomine iam antiquato immutantem, argumentum potius esse, fortuitae, aut per incuriam commissae substitutionis litterarum H pro I; et quasi demonstrationem dixerim, qua Etistarum (vt nominant) opinio e fundamentis euertitur; cum exinde palam fiat, tempore saltem Procopii Caesariensis aeque sonasse H et I; quando *Zichi*, seu *Zicchi*, nomen notissimum antiquioribus, atque peruulgatum, indifferenter per H Ζηχοι, Ζηκχοι, ac per I, Ζιχοι, Ζικχοι efferi exprimique poterat.

Eadem prorsus indifferentia ad nomen huius gentis modo per I, modo vero per H scribendum, et Constantinus Porphyrogenneta, aut si mauis descriptor illius, vsus est. Quia in Lib. de Administrat. Imper. cap. 42. septies inuenitur nomen hoc exaratum per I. Διαχωριζων την Ζιχιαν: *separans Zichiam.* η χωρα της Ζιχιας: *Regio Zichiae* ανωθων της Ζιχιας: *supra Zichiam.* η της Ζιχιας παραλιος: *Zichiae ora maritima.* Νησια παρα των Ζιχων κτιθεντα: *Insulae a Zichis cultae.* οι Ζιχοι καταφευγȣσι: *Zichi confugiunt.* απο της συμπληρωσεως της Ζιχιας: *a complemento Zichiae.* Ita constanter septies vt dixi scriptum occurrit nomen per I. Sed in cap. vltimo eiusdem operis, quod est 53. non minus constanter diuersa scriptio; seu per H vocalem obseruatur; ter enim legitur εν Ζηχια, in ZH*chia.*

εν ω

εν ω κατοικουσι Ζηχοι: *vbi* ZH*chi habitant*. denuo ιστεον οτι εν Ζηχια: *ſciendum quod in* ZH*chia*; vbi et interpres eadem conſtantia H pro I accipiens, non *Zechiam*, neque *Zechos*, ſed *Zichiam* et *Zichos* et hic, vti et ſuperius latine vertit, in editione Banduriana. Nam quod P. Athanaſius, in diſquiſitione antea citata, bis per I *Zichiam*; ſemel autem per E, loco graecae litterae H exſcripſerit. pag. 7. hoc non moror. Et recte quidem interpres, cum obſeruauerit in ſuo auctore idem nomen per vtramlibet ex vocalibus deſignatum, vim alterius H, per alteram I, veluti expoſitam intellexit, atque retinuit. Recte inquam: quod ſi omnes interpretes ita feciſſent; nullos profecto *Zechos* pro *Zichis* apud latinos ſcriptores haberemus, quemadmodum nullos Ζεχους, pro Ζιχους vel Ζηχους apud Graecos vſquam inuenimus. Atque, quod inde ſequitur; nunquam ſic in mentem Schminckio cuidam aut Dobnero veniſſet, ex *Zichorum* appellatione *Czechos* ſuos confingere.

Iam poſt Procopii tempora, atque inde ſequiora Porphyrogennetae, cuilibet fas erat Ζηκχους vel Ζικχους ad libitum ſcribere; cum nulla ex diuerſitate ſcriptionis, in pronunciatione H vocalis iam alterata, oriretur nominis differentia. Quamobrem et in graecorum Menologio menſis Nouembris die 30. qua commemoratio fit S. Andreae apoſtoli, legimus in actis breuioribus: Αλανους, Αβασγους, Ζηκχους, Βοσποϱινους και Χεϱσωνιτας. *Alanos, Abasgos* ZH*cchos* (per H) *Boſpor*I*nos* (per I); permutatis his ſane vocalibus. In monumento vero diffuſiori, quod ibidem extat: αλλ' ουδε της των Ζηκχωντε και Βοσποϱηνων ημελησε σωτηϱιας: *ſed neque* ZH*cchorum, et Boſpor*H*norum ſalutem neglexit*. vtrumque per H.

Gregoras tamen Lib. II. cap. V. n. 1. gentes enumerans quae Ponti oram accolebant, Arriani et Euſtathii lectio-

lectionem potius, quam Procopii, ac eorum qui post Procopium scripsere, sequi maluit, nomen exprimens per vocalem I, interiecta consonante K: Ζικχοι τ' Αβασγοιτε ησαν. *Zicchi erant, atque Abasgi.* Linea haec in versione Wolfii deerat; sed animaduertente Cangio in Not. Posth. apte fuit restituta. Interpres et hic vertit *Zinchi*, cum *Zicchi* potius iuxta suum originale vertere debuisset. At tam facile iste *Zinchos* fecit a *Zicchis*; immo a *Zikchis*, quam a Ζιχοις, Ζηχους, exscriptores graeci antea fecere; et a Ζηχοις postea *Zechos* suos latini interpretes. Quamquam, maiori profecto ausu isti, quam illi. Graeci enim posteriores Ζιχους, vel Ζηχους scribentes, in diuersitate graphica nominum extraneorum expressionem vocalem vtcunque se seruare putabant; neque orthographiae legibus inde graecanicae vim vllam afferre. Sicut enim nomina Graeca per Ausoniae fines sine lege vagantur, vt ab Aluaro in grammatica dictum est, ita et nomina Pontica, quin per fines Graeciae soluta regulis orthographicis errent, quid impedit? Sed latini interpretes, ex *Zichis Zechos* tandem facientes, scripturam neque subuertebant, et pronunciationem genuinam ipsius nominis.

At inquies, iam patere, quod rationibus validissimis a criticis fuit euictum, vocalem nempe graecanicam H, non per I, sicut apud Graeculos hodiernos, sed per E potius ab antiquioribus prolatam fuisse; vnde fit, vt seruata apud latinos vi antiqua litterae H, quae dudum apud Graecos exoleuit, recte interpretes instituerint *Zechos* scribere atque pronunciare, quos Ζηχους apud Procopium legerant. Quorsum haec in casu nostro? scilicet, vt hinc ex Ζηχοις Procopii Caesariensis, secundum leuem illam suspicionem Iohan. Herman. Schminckii, *Czechos* tandem suos facilius exsculpere possit Dobnerus, Dobnerique

nerique fidus Achates, nescio quis, *Historiophilus*, caetera quidem vir doctus atque disertus; sed dum tamen Graeculos de modo genuino suas pronunciandi litteras docere conatur, per hoc idem *Historiophili* nomen, quod, tum decorandi gratia qua scribit, tum scriptorem occultandi, vtrique suo examini critico praefixit, suam circa genium linguae graecae imperitiam manifeste prodens; vtpote qui sine vlla difficultate, vt apparet, et *Sophophilum* se ipse dixerit pro *Philosopho*; et *Logophilum* pro *Philologo*; et *Logotheum*, si Deo placuerit, pro *Theologo*, Graece loqui credens; nihilque putans interesse, vno vel altero modo, vtcumque tandem Graecis componantur, haec nomina. Sed ad rem.

Obseruanda erant *Historiophilo*, quae a nobis supra obseruata sunt, Ζιχȣς non Ζηχȣς hosce populos adpellatos fuisse ab antiquioribus; procopium non esse loquutum de alio quodam populo ab iis diuerso; sed de eo, de quo et Arrianus, vt a nobis demonstratum est; Procopii tempore, nequaquam primaeuam illam vim enunciandarum vocalium viguisse; Procopium ipsum forte, aut exscriptores eius, cum indifferens sibi censerent pronunciandi H per I, alteram alteri vocali in scribendo substituisse. His namque rite obseruatis; qua ratione defendenda erit *Zechorum* pro *Zichis* in historia introductio; nisi tantum vt via quaedam ad *Czechos* Bohemicos introducendos, tanquam ex iis ortos, inde pateret? Neque enim puto vllum futurum esse, qui non solum H occurrens in Graecorum nominibus, sed I quoque si occurrerit per E latinis contendat scribendum, atque pronunciandum.

§. II.

Atque hic consultum esset fortasse claudere sermonem, vbi leuitas praetensae deriuationis *Czechorum*, simplici hoc ratiocinio manifeste nobis apparuit. Sub Ζιχων, vel Ζικχων nomine perpetuo veniebant, quos Ζηχȣς vel Ζηκχȣς apud Procopium legimus. Auctores Procopio posteriores, pronunciatione vetustiori dudum iam labefactata, aut indifferenter H pro I sumpto, lectionem Procopianam sequuti sunt, aut eam ad pristinam et genuinam reuocantes, scriptionem per I restituerunt. Erronee ergo latinorum interpretes *Zechos* dixere, quos *Zichos* debuerunt. Ergo leuissima prorsus atque vana est coniectura, quae ex nomine *Zichorum*, appellationem *Czechorum* deriuatam nobis venditare conatur.

Quoniam vero auctores hinc occasionem arripuerunt, de vi vocalis H disserendi, quam alii ad I trahunt, alii ad E retrahunt; vt et nos quoque, opinionem nostram de quaestione hac, inter Etistas, vt vocant, et Iotistas magnis vtrimque concertationibus agitatam aperiamus; hanc vnam ex eis esse logomachiis ego censeo, in quibus plerumque a rei veritate ex aequo recedere vtramque dissidentium partem contingit. Vocalis H vera et genuina pronunciatio neque vt I, quod Graecis recentioribus euenit, sonabat; neque vt E, proprie et stricte, quae plurimis inter latinos criticis fixa insedit opinio; sed diuersum quemdam sonum, qualemcumque demum, edebat; qualem vix hodie nobis imaginari, ac ne vix quidem facile est. Equidem Dionysius Halicarnassensis, de compositione nominum agens, ex maiore aut minore soni in his proferendis editi, claritate; nec non ex varia organorum vocis in pronunciando configuratione vel affectione, diuersitatem trium harum vocalium nos docere

tentauit.

tentauit. H *inquit, post A suauitate soni inter omnes vocales praecellit*: φωνην ηδιστην αποτελει τα μακρα..... ευφωνοτατον δε των μακρων το A, δευτερον δε το H. *I minus est canorum, non ita clarum labiis sonum edentibus*: ουκ επιλαμπρυνοντων των χειλεων τον ηχον. *E minime sonorum est, vel potius obscurum, magis quam O*: Ουδετερον μεν ευηχον, ηττον δε δυσηχες (του E) το O. Ad haec, H *circa basim linguae sonum firmat*: περι την βασιν της γλωσσης. *I circa dentes spiritum pulsat*: περι τους οδοντας. *E ictum edit circa arteriam*: περι την αρτηριαν. Denique H *os mediocriter aperit*: μετριως. *I, paulo*: μικρον. *E minus etiam quam ipsum O*: το O διΐστησι το στομα κρειττον η το E. Haec Halicarnassensis: at quotusquisque tamen ille est, qui clarum atque distinctum ex his sibi efformare queat conceptum diuersitatis formalis et characteristicae trium istarum vocalium? Nemo me iudice. Quo enim pacto quis ideam soni percipere possit, quem nunquam audiuerit? aut saporis, quem nunquam gustauerit? aut coloris, quem nunquam viderit? Satis nobis erit hoc scire, firmiterque tenere, quod diuerso plane pronunciandi modo qui a sono ipsius E, atque I aeque dictabat, vocalis Graecorum H apud antiquos prolata, aurem percellebat. Diuersitatem vero, quam satis clare ex dictis innuit Halicarnassensis, et Plato ipse testatur in Cratylo; vbi Socratem introducens, de litterarum vi, nominumque significatu, cum Hermogene differentem, οι μεν αρχαιοτατοι Ιμεραν την Ημεραν εκαλουν· οι δε Εμεραν· οι δε νυν Ημεραν: *Quam nunc* (per H) Ημεραν (siue diem) *appellamus, vetustissimorum alii* Ιμεραν (per I) *exprimebant*; *alii* Εμεραν (per E). Ex quo patet tempore Platonis, quando nempe exquisita linguae pronunciatio Graecorum vigebat, vim vocalis H a sono I absque E ex aequo absuisse. Idem paulo inferius, ideam expo-

 nens

nens quam terminus το ἀγαθον (bonum) exprimit; Εον (inquit) αντι τε Ε το Ι ἀποδιδως ωσπερ το παλαιον, δΙον γαρ ἀυ σημαινει, ἀλλ᾽ ε δΕον το ἀγαθον. *Si loco E proferas I vt antiquitus proferri ſolebat, tunc* δΙον *ſignificat, non* δΕον *quod bonum eſt.* Vbi ſi loca conferas, obſeruabis quod Plato, litteras I et E, tam hic inter ſe, quam ſuperius relatiue ad H, diuerſo ſono apud antiquos pronunciatas fuiſſe teſtetur. Sed clarius hoc euincunt, quae adhuc inferius a Platone in eodem dialogo traduntur. *Nos* (ait) *olim H, minime vtebamur; ſed E.* Ου γαρ Η εχρωμεθα, ἀλλα Ε το παλαιον. Si nunc Plato reuixiſſet, oblituſque fuiſſet antiquae illius H pronunciationis; vel profecto cum latinorum criticis dixiſſet: *Nos hodie H minime vtimur ſed E;* vel cum Graecis recentioribus: H *minime vtimur, ſed I.* Iam vero, cum temporum differentia, rerum veritatem minime tollat, nonne clare exinde ſequitur; quod vſu H tunc quidem nondum introducto, nunc autem penitus ſublato; manentibuſque perpetuo E atque I vocalibus, patentiſſimus ſit abuſus, vtrius libet iſtarum pro H ſubſtitutio? Porro rem proſequitur idem Philoſophus ibidem: et originem exponens nominis Κινησις (*motus*), hoc deducit ex alio nomine Ιεσις (*iactio, miſſio*) per additionem initialem litterae K, a verbo extraneo Κιειν deſumtae; per interiectionem intermediariam litterae N; et per mutationem vocalis E, in vocalem H; ita enim transformatur vox in aliam; atque Ιεσις fit ΚιεΝΗσις. Ιεσις αν ορθως καλοιτο: νυν δε ἀποτε τε ξενικε τε κιειν, και ἀπο της τε Η μεταβολης, και της τε Ν ενθεσεως, Κινσις κεκληται. At qualis, amabo, fuiſſet μεταβολη, ſeu *mutatio* E in H, qua ex Ιεσις fit κινησις, niſi H a ſono E excidiſſet? Et quid aliud, hodierna iuxta criticos noſtros H per E pronunciatio eſt, niſi *mutationis*, illius iam antiquatae, ad priorem vſum *reſtitutio*, et vera ἀποκαταστασις? *Hiſto-*

Historiophilus propositum a nobis locum Platonis pro Etistarum causa citat; ita tamen, vt in alium prorsus sensum detorqueat; dictum vtique philosophi non vertens, sed peruertens. *Constat*, ait, *ex Platone*, *vetustissimos Graecos*, *non nisi vnum E in alphabeto suo*, *quemadmodum vnicum O habuisse*. (Historiophil. in Alter. Examin. Critic. pag. 11.) Atqui Plato non dixit, *vnicum E Graecos habuisse*; *sed E quidem habuisse*, *H vero non eo habuisse*; atque hoc eo fine, vt ostenderet, ad exprimendum *motum*, Ιεσιν eos dixisse, non κινησιν; quod κινησιν exprimere haud valerent H carentes: ἀλλα γαρ δηλον οτι ιεσις βȣλεται ειναι η κινησις: ȣ γαρ H εχρωμεθα, ἀλλα E το παλαιον: quod ad litterarum versum sic sonat: *At enim constat*, *quod* ιεσις *valet quantum* κινησις; *non enim H vtebamur*, *sed E antiquitus*. In quibus Platonis verbis, sensum ab *Historiophilo* iis affixum haud perspicio; perspicere tamen videor, quo tendat *Historiophili* ipsius mens. Scilicet non satis erat, vt H Graeci carentes, tantummodo E vterentur, quam vocalem de nouo in lingua sua introducere coacti sunt; sed hoc vel maxime opus erat pro firmanda Etistarum sententia, vt ex Platonis testimonio, vnicum E (id est non duplum) vetustissimi Graeci habuerint; exinde enim H, quod postmodum fuit introducendum, velint nolint sequiores Graeci, alterum iis E euasurum. Quod an Plato ipse ita intellexerit, viderint quibus philosophi genuinam de hac re assequi mentem volupe est.

Sed sunt (Historioph. ibid.) Graecis quaedam vocales duplices, veluti ο μικρον et ω μεγα; praeterea ιωτα et υψιλον, quod idem latine connotat, atque *i tenue*, seu *breue*. Cum ergo et ε ψιλον, seu *e tenue* atque *breue* in alphabeto Graeco inueniatur, quorsum hanc breuem appellatam dicemus, si nulla alia E designari potest? — Adpellabi-

mus] sane *per se;* id est *absolute*, quia et natura sua vocalis E in prolatione est breuis; non *respectiue;* quatenus ad alteram E, quae natura longa sit, relatam; aut si mauis, quia cum ex naturali quam edit sono, breuitatem obtinuit, positione subinde protrahitur, et Θεσει longa euadit, ideo E breuem appellatam dicemus. — Sunt Graecis duplices quaedam vocales. — Sint quaedam: ergo ne omnes? Ecce statim in alphabeto vocalis A vnica est, atque simplex. — Quis vnquam audiuit eodem modo, quo O et Ω, contradistingui etiam I, et Y? vnde noua haec linguae Graecae institutio? Quid cogit vt I sit longa, Y vero breuis; quando ex prima fere grammatices pagella Graecorum pueri docentur, et illam breuem esse posse, et hanc longam, cum ambae διχρονοι, seu communes aeque sint; neutram natura sua ex iis alterum? — At Y appellatur cum adiecta voce ψιλον, pariter ac E ipsum per eandem notam ψιλον designatur. — Ita sane: attamen non vt harum vocalium per adiectiuum ψιλον breuitas indicetur; alias et Y natura breue esset, vt et E; contra vero I semper longum; quod nemo dixerit; sed vt potius denotetur earum positio solitaria. Quia enim saepissime cum *iota* addito binae istae vocales occurrant υι, ει; immo et harum altera, seu E, non ita simpliciter, sed Ει, in enumeratione litterarum alphabeti veteribus nominari solebat, prout videre est apud Athenaeum, et Eustathium; propterea Εψιλον et Υψιλον grammatici eas appellitarunt; tanquam si dicere vellent E vel Y solitarium, nudum, aut quid simile.

Pergit Historiophilus (ibid. pag. 12.) et inuentorem vocalis H (qui profecto Simonides ille, qui sub Dario Histaspis filio vixisse perhibetur, esse non potuit) quisquis ille fuerit, *praeter rem, et rationem* (ait) *sonus vocalis ι, per*

per litteras I, Y, et *H geminare, atque ita entia sine necessitate multiplicare voluisse; praesertim cum aliae tres diphthongi* (Ει, Οι, Υι adde vero si vis et quartam Ηι, et quintam ῌ) *praeterea eodem pene valore, et sono enunciarentur.* — Haec nos oppositio, qui pronunciationem H, atque ab I, et ab E vetustissimis illis temporibus recessisse arbitramur, minime tangit. Sed neque ipsos *Iotistas* per hoc suum argumentum criticus conuincere valebit; facile enim ei respondere poterunt; quod si tres praedictae diphthongi Ει, Οι, Υι, vocalibus I, atque Y aequipollentes pene ac aequisonae sunt, ita vt quinquies vocalis *ι* per has geminetur, quid obstat quin et sexta H eis superaddatur? — sed E inquies vnica ita esset. — Quid porro? nonne et A eodem modo vnica manet? Ponantur ergo vt A, sic et E solitarium; O, Ω duplum; I, Y, H, triplum; Ει, Οι, Υι, Ηι, quadruplum; vel si et ῌ addas, quintuplum; quid impedit? aut quaenam ratio, ex diuersitate numeri aequipollentium vocalium deducendi modum, quo vocales pronunciandae sunt? Profecto nullum exinde sibi, vel probabile argumentum criticus elicere potest, quo vel a propinquitate cum I, vt Iotistis placet, litteram H retrahat; vel ad E, quod sibi videtur, eam reducat.

Ad auctoritatem Mauri Terentiani confugit Historiophilus (ibid.) H et E *temporis momentis*, sicut O et Ω, *non soni natiuitate* distare asserentis. — Sed longe praeferenda est Dionysii Halicarnassensis auctoritas; vtpote et Mauro antiquioris, et gente Graeci, et in hac materia de qua agitur versatissimi; qui soni natiuitate atque origine prolationis sonos vocalium H, I, E, a se inuicem contradistinguit. *H circa basim linguae sonum firmat; I, circa dentes spiritum pulsat; E, ictum edit circa arteriam. H, os mediocriter aperit; I, paulo; E, minus etiam*

iam quam ipſum O; in quibus ſane non tantum temporis momenta conſideranda veniunt, vt ait Maurus; quae momenta in Διχρονοις, ſeu communibus ᾱ et ᾰ; ῑ et ῐ; ῡ et ῠ; nunc longis, nunc breuibus ſumendis, verum eſt, ſed aliquid vlterius, quod reſpicit ipſius ſoni per organa vocis diuerſam formationem, atque radicalem vt ita dicam originem. Maurus fortaſſis neque exprimere Graecorum H valebat; certe genio ſuae linguae indulgebat; modum moremque latinorum obſeruabat, qui per E apud ſe longum, H occurrens, in vocibus Graecis latiniſatis, proferre ſolebant. Neque enim negamus veteres latinos H per E expreſſiſſe; at contendimus, hoc iis ex carentia propriae et genuinae pronunciationis, litterae ipſis exoticae, eueniſſe; neque tamen H aut ſolum, aut ſemper atque conſtanter apud latinos inuenimus transformatum; vt criticus perſuadere nobis vellet. (ibid. pag. 23.) Quandoque enim et ipſum I Graecorum apud latinos in E mutatum occurrit, veluti cum αερΙον dicunt aerEum; εμπυρΙον, empyrEum; ηλια χωρα, ElEa regio. Praeſertim in diphthongis αι et οι; nam τον αΙνεαν AEneam vocant; et ΜαΙανδρον MaEandrum. Interdum immutatum I relinquunt; vt cum ΜαΙαν, MaIam appellant Mercurii matrem. Sic το κοΙλον CoElum dicunt; τον οΙϛρον, OEſtrum. Aliquando aut in E vertunt, aut elidunt; ποΙημα PoEma. Frequenter et EI diphthongum per I efferunt. ΣΕΙρην, Siren; ΣΕΙριος, SIrius; ΣΕΙϛρον, SIſtrum, crepitaculum; ΕΙρονΕΙα, IronIa. ΕΙρηνη, Irene; ΕΙρηναιος Irenaeus. Sed neque H Graecorum per I exprimere, more Iotiſtarum, Latinis religio fuit: ecce enim: *Kyrie eleïſon* clamant, non *eleeſon*. Interdum etiam H in A mutarunt more Dorico, ΜΗτραν MAtricem vocantes; et pro ΜΗτερ, MAter; et ΦΗμΗν FAmAm, vt a Io. Matthia Geſnero in ſuo theſauro

thesauro obseruatum est. Ad vocum vero desinentiam H nunc per E, nunc per A scribunt et proferunt: Την ΓϱαμματικΗν GrammaticEm dicentes, et GrammaticAm; την λογικΗν LogicEm et LogicAm etc. In voce πολνH pronuncianda I vertunt in E, H vero, non in E, sed in A. PoEnA etc. Sed et E ipsum quandoque per I reddunt, ΣικΕλιαν Siciliam appellantes; vel per V, ΣικΕλον SicVlum. Nec mirum; scimus enim latinos olim et in ipsa propria lingua similes vocalium permutationes fecisse; vt cum E vsurpabant loco A: Escendere; Espicere; pro Ascendere, Aspicere; CEssianE pro CAssianA. Et pro E duplum II: fIIcit, pro fEcit; bIInII mIIrIInti, pro bEnE mErEnti. Et pro I viciffim E: VEllam, VIllam nominantes; et VEam, VIam. Ita apud eos MEnerua, LEber, MagEster, GenEtrix, PontEficum, condEdit, VErgilius, et alia plura quae citatus Gesnerus ex marmoribus Gruterianis adducit; additque quod etiam hodie promiscua sunt herI pro herE vesperI pro vesperE etc. Ex quibus omnibus patet, non esse Graecis attendendum latinorum modo pronunciandi, vt inde vim Graecarum doceantur vocalium; immo nec ipsis latinis tam firmum esse argumentum iudicandi, vocalem H perinde ac E Graecis veteribus sonasse, ex eo quod latina gens, hanc illius loco frequentissime substituerit; sicuti contra nec Iotistae pro firma suam opinionem tenere debent, ex eo quod H antiquorum apud Graecos recentiores in I decidit.

Sed quid de Strabone dicendum, qui cum Graecus auctor esset, et quidem satis vetustus, E tamen in latinorum nominibus extans, per H Graecum exprimebat? Hoc enim ex catalogo multarum vocum in suos pugillares adnotatarum, criticus noster ostendit. (ibid. pag. 18.) — Respondendum 1. Strabonem in geographia sua, non

aliter nomina illa ſcribere vel potuiſſe, vel debuiſſe, quam ipſi Romani pro genio ſuae dialecti ſcribere ea ſolerent, dum Graece ſcribebant. In ſcribendis ergo Βηρων, Κορνηλιος, Καισηνας, et ſimilibus, Strabo lectoribus ſuis Romanis morem gerebat, ne confuſionem iis pareret, quibus praecipue ſcribebat; Romanis inquam tunc terrae dominatoribus, ſuoque modo linguam Graecam exprimentibus; nam de Graecis ſuis gentilibus nihil erat Straboni curandum, vtcumque tandem aliena barbaraque nomina ipſis ſcripta repraeſentarentur. — Reſpondendum 2. Strabonem in ſcribendis pleriſque ex iis nominibus, reſpexiſſe ad analogiam linguae Graecae; vſumque fuiſſe littera H, non tam vt E latinorum exprimeret, quam vt ad etymologiam ſe Graecanicam accommodaret. Ita pro RhEgio, ΡΗγιον ſcripſit, vtpote ex verbo ῥΗγνυμι deductum; et pro ArEtio ἀῤῥΗτιον, tanquam ex nomine ἄῤῥΗτον deriuans. Sique Rutenos dixit ΡȣτΗνȣς; CalEnos, ΚαλΗνȣς; MisEnos, ΜισΗνȣς, TyrrEnos, ΤυῤῥΗνȣς etc. huius in cauſa fuit, quod haec erat formula nominum gentilium, Arabum Aſianorumque (vt apud Stephan. Byzant. Apollon. grammaticus docet) immo et Siculorum etiam, in Ηνος deſinentium, frequentiſſime Graecis vſurpanda. Vnde et ratio reddi poteſt; cur ἀῤικΗνȣς denominauerit Dionyſius Halicarnaſſenſis, et ΣκαπτΗνȣς, et ΚλȣσΗνȣς, et ſimilia; ad formam nempe recurrens, qua gentilia iſta nomina gaudebant; ΑβυδΗνοι, ΚυζικΗνοι, ΠεργαμΗνοι etc. — Reſpondendum 3. mirum ſana videri, quod Hiſtoriophilus in pugillaribus ſuis, nomina manifeſte Graeca pro latinis exſcripſit, et pro talibus etiam in Examine ſuo venditauit. *Ea* (inquit) *nomina propria quae profero latina ſunt ſatis cognita, vrbium, fluminum, montium, virorum* etc. Quaenam iſta ſunt? haec inter alia: Κρατηρα, Σειρηνȣσαι,

κεσαι, Δημαρατος, Αντηνωρ etc. Vah! qui potuit ex hisce nominibus loco litterae E, litteram H Strabonem substituisse Historiophilus euincere!

At ille tandem recurrit et ad *Onomatopoeïam*; atque hoc censet *nullum verius certiusque iudicium* dari ad statuendum, *quo sono quaeque litterae olim enunciatae fuerint*. (ibid. pag. 23.) Ecce caprarum (inquit) balatum per μη, μη Graeci imitabantur, ouium vero per βη, βη. Atqui si per E quis proferat (mE, mE; bE, bE) quod in hisce syllabis H occurrit, manebit praedictorum animalium clamoris nonnulla similitudo; si autem per I, (mI, mI, bI, bI) nulla. — Quid vero si quis neutrum concesserit? Reuera enim neque E, neque I sonum proprie et strictim pecora clamantia edunt; sed tertiam aliquam emittunt vocem, ab vtraque illarum vocalium plane diversam; nec proinde futilis omnino esset coniectatio, si quis dixerit, quod propterea fortasse veteres illi ονοματοποιοι prae E vel I, vocali H vti voluere, qua ab iis aeque recedentes, propius ad sonum accederent ipsis propositum, imitandum. Equidem fuere, qui post Herodoti veram, aut fabulosam illam, de pueris βεκκος vel βεκος pronunciantibus (Euterp. cap. 2.) narrationem, E pro H in hac voce substituerunt; vt videre est apud Apollonium, ad IV. scholiastem Aristoph. ad Nub. Galenum, Hesychium, Suidam, Lexicographos passim; sed liceat hic interrogare: Cur ergo Herodotus ipse, et reliqui, non βHκ, et βHκος dixere, pro suo βEκ et βEκος; si H et ipsis perinde ac E sonabat; cum praesertim longior productio vocalis in hisce vocibus requireretur? Cratinus comicus lectionem βH secutus est: οδ' ηλιθιος ωσπερ προβατον βH, βH λεγων βαδιζει: *at hic stolidus, sicut ouis* βH, βH *proferens ambulat*. Sed Eustathius in Iliad. I. pag. 768. Edit.

Edit. Rom. negat per αι diphthongum, (quae, ſicut et *ae* latinorum, ad pronunciationem vocalis E quam proxime accedit) illud βH eſſe pronunciandum; φασι βH, ου μην βAI μιμησιν προβατων φωνης: dicunt βH non βAI (non *bae*) imitationem ouium clamoris. Haec, ni fallor, probe omnia penſitata, vehementer infirmant Hiſtoriophili iudicium, ex onomatopoeïa ductum; quo nullum ipſe cenſet dari verius, neque certius. Sed et hoc tandem addam, quod Iones non per μη, μη, vt ait Hiſtoriophilus, ſed per μα, μα Capras imitabantur; vt enim Ioh. Grammatic. habet in Technicis, μεμΑκυια, dicebant pro μεμΗκυια. Et in latinorum lingua non *bElatus*, ſed *bAlatus*, clamor a pecore capriſque editus, conſtanter per *onomatopoeïam* vocatur; ſubſtituto nempe A pro Graeco H. Si ergo invictum eſt, quod ex *onomatopoeïa* deſumitur hic argumentum; aut Ionum capras *ma*, *ma*; Latinorum vero et capras et oues *ba*, *ba* clamaſſe neceſſe eſt; aut vocalem H Graecorum, non tantum valorem *E*, vt Hiſtoriophilo placet, olim habuiſſe; ſed et A perinde ſonaſſe; quo ſi quid abſurdius dici poteſt, Hiſtoriophilus ipſe viderit.

Illud ego pro certo poſuerim; quod cum exoleta iam antiqua litterae pronunciatione, non liceat amplius per ſenſum auditus reſcire, qualis ſonus H vocalis fuerit; cumque nec latinorum, hominum ετερογλωσσων, ſuo linguae genio indulgentium, neque Graecorum ſequiorum admodum a priſtina puritate ſuae loquelae degenerantium, modus proferendi praedictam vocalem, idonei teſtes ſint; ſed neque demum ex onomatopoeïa argumentum vllum pro conuincenda re qua de agitur ſuppeditari poſſit, non dico certum, ſed nec probabile; id vnum reſtat vt ex ipſa natura linguae Graecae penitius perſpecta, et ex variis proprietatibus, adfectionibus, dialectis eius attente obſer-

obſeruatis, ſubiecta lis potiſſimum rimanda ſit atque dirimenda. Quod ſi quis fecerit, licet ad ipſius ſoni accuratam perceptionem non perueniat; per quam enim viam, niſi per ſenſum, poterit animum ſubire ſenſibilis qualitas? attamen abunde rationes inueniat, ob quas *Etiſtis* aeque ac *Iotiſtis* valedicat; fateaturque lubens, ipſis potius accedendum eſſe, qui longe diuerſum ſonum H Graecum habuiſſe contendunt, quam iis, qui per *E* vel *I* pronunciatum fuiſſe exiſtimant. Paucas hic ego ex his rationibus afferam.

1. In nominibus linguae huius, quae συνῃρημενα (*contracta*) vocantur, ſaepe ex *EE* fit *H*: ΔημοσθενEE, νH; ſaepe vero fit *EI*: ΔημοσθενEEς, νEIς; quod accidit etiam in verbis contractis. ποιEE, EI. Idem euenit ex *EA*, quod nunc contrahitur in H; ΔημοσθενEA, νH; nunc in *EI*: ΔημοσθενEAς, νEIς. Fit porro vtraque mutatio per *craſim*. *Craſis* vero non ſine alteratione vocalium confuſio eſt, in quo a *Synaereſi* differt iuxta grammaticos. Ergo ſi *EE* alterationem patitur, dum tranſit in H, quis dixerit huncce ſonum illi fuiſſe conſimilem? perindeque veteribus H ac *EE* ſonaſſe? Sed et hoc adhuc conceſſo: ergo et *EA* eadem ratione dabat ſonum H, qui pari modo ex *EA* vocalis H contrahebatur; atque ſic H cum *EE* nihil magis quam cum *EA* aequiualebat. Atqui idem dicendum de diphthongo *EI*; contrahebatur enim et iſta non minus frequenter ex *EE*, vel ex *EA*. Neque tamen exinde *Iotiſtae* occaſionem ſuum *Iotiſmum* introducendi arripiant; ex alterutra origine, nunc *H*, nunc *EI* obſeruantes enaſci; quia probe veteribus et iſti duo ſoni inter ſe diſtinguebantur. Compertum hoc habemus ex Atticorum more vetuſtiſſimo, apud quos in caſu recto numeri multitudinis nominum propriorum in ΕΥΣ deſinentium duplex

EE in *EI* tantummodo contrahendi fas erat πηλΕΕς, λΕΙς; ΤυδΕΕς, δΕΙς; nominum vero appellatiuorum, in *EI* vel in H pro lubitu licebat: ΒασιλΕΕς, λΕΙς vel λΗς; ιππΕΕς, πΕΙς, vel πΗς; quod recte obſeruauit Conſtant. Laſcaris Grammat. Lib. III. pag. 282. Edit. Venet. An. 1760. apud Bortolium; vbi ex antiquis codicibus adducens illud Sophoclis: τ8ς τε δισσαρχας ολεσσας βασιλΗς, δια τ8 Η; inquit, ευρηται γεγραμμενον παρα τοις παλαιοις βιβλιοις: ὁμοιως και παρα Ξενοφωντι νομΗς, ιππΗς; *per H ſcriptum repertum eſt in vetuſtis libris; ſimiliter et apud Xenophontem* νομΗς, ιππΗς.

2. *Metalepſis*, cuius frequentiſſimus vſus in lingua Graeca, argumentum praebet haud obſcurum, vocalium *H* et *E* in enunciatione notabilis differentia. Sic ſunt quaedam verba, quorum futuri temporis indifferenter penultimam per *H*, vel per *E*, grammatici prolatam admittunt: πονΗσω, et πονΕσω; φρονΗσω, et φρονΕσω; φορΗσω, et φορΕσω; quod plane demonſtrat, quam notabiliter diſtinguebatur vocalium *H* et *E* apud antiquos pronunciatio; cum vt exceptio regulae proponatur quibuſdam ſolummodo verbis (non enim omnibus ſimilibus) peculiaris et propria. Sic in augmento initialis verborum ſyllabae, in temporibus praeteritis, tranſit *E* quidem in *H*: Ελεω, Ηλεουν, Ηλεηκα; Εθελω, Ηθελον, Ηθελησα etc. ſed eodem modo tranſit et A in H: Ακ8ω, Ηκ8ον, Ηκ8σα; Ανυω, Ηνυον, Ηνυσα etc. neque tamen propterea conſonantia A cum H exinde eſt deducenda. Quinimo ſunt et verba, in quibus *E* initiale per *EI* diphthongum, non per *H* augetur. Εχω, ΕΙχον; Ελκυω, ΕΙλκυον etc. Sunt vero in quibus indifferenter augmentum fit vel per *EI*, vel per *H*: Εθιζω, ΕΙθιζον; vel Ηθιζον; vtrum quaeſo in his, pronunciandum ne eſt *H* vt *E*; vel vt *EI*, quod accedit propius ad I? Neutrum. Habemus praeter dictas, quae fieri ſolent

in ver-

in verborum auctionibus et alias *metalapses* vocalium. A mutatur in H: Απεδανος, Ηπεδανος; O in H: αιμΟποτης, αιμΗποτης; ἀθλΟφορος, ἀθληφορος etc. Ex quibus patet, quod *Metalepsis*, nihil magis *H* ad *E* referendum esse permittit vt vnisonum, quam caetera, quae pro diuersis aliis subinde transsumuntur, elementa vocalia.

3. Et *Dialectorum* diuersitas apud antiquissimos Graecos in pronunciando insigniter distinguebantur, cuiusque essent patriae, specialiorisque gentis, suo se ipsi ore, vt ita dicam, prodebant, nonne manifeste euincit, plane diuersum fuisse sonum, quem in loquela Graecorum efformabat trium harum vocalium *E*, *H*, *I* expressio? Eandem syllabam, eodem in nomine, per eundem casum, ad idem significandum, hi per A exprimebant, illi per H, alii per E. νΑες, νΗες, νΕες (naues); neque minus H ab E, quam ab A contradistinguebatur. Dialectus *communis* dicta, per I exprimebat, quod per *E Ionica*, vel *Attica:* πολΙος, πολΕος, πολΕως: vltima producta. (*vrbis*) Alias *communis*, vel *Attica*, per E, quod *Ionica* per H: βασιλΕος, vel βασιλΕως, βασιλΗος. (*Regis.*)

Attici per EI pronunciabant quod reliqui per H: βȣλΕΙ pro βȣλΗ (*vis*). Vicissim alias per H, quod reliqui per E: Ηδυναμην, pro Εδυναμην; (*poteram*); Ηβȣλομην pro Εβȣλομην; (*volebam*) etc. Interdum quod alii per H. Attici per A: ευφυΑ, υγιΑ, pro ευφυΗ, υγιΗ (*generosum*, *sanum.*) Est vero notandum hic quod Ioh. Philopon. atque Trypho grammatici apud Constantinum Lascarim pag. 401. admonent: οι αττικοι της νΕως αντι της νΗος, το Η εις Ε τρεποντες, καὶ το Ο εις Ω εκτεινοντες γραφȣσιτε καὶ φθεγγονται. Quod ad verbum sic sonat: *Attici* νΕΩς *pro* νΗΟς, *mutantes* H in E, *producentes vero* O in Ω, *scribunt atque loquuntur.* Ergo substitutio haec litterarum O

et

et Ω ſola fit productione: (εκτεινοντες: *producentes*) illa vero H et E, et ſoni mutatione: (τρεποντες: *mutantes*) vtque hic Mauri Terentiani vtar expreſſione aduerſus Maurum ipſum: inter O et Ω *temporum momenta diſtant;* inter H et E, non haec tantum, ſed et ſoni ipſius natiuitas. Sed haec ex Atticis.

Iones vero praeſertim recentiores per *Enallagem* H vertebant in E; aiebant enim ξΕρον pro ξΗρον (*ſiccum*) et E contra mutabant in H: τιθΗμενον pro τιθΕμενον (*ponentem*). Sed per ſimilem *Enallagem* antiquiores Iones permutabant H in EA: ορΗ, ορΕΑ (*montes*); τειχΗ, τειχΕΑ (*moenia*); et H in A: λελΑσμενος pro λελΗσμενος (*oblitus*); et viciſſim A longum in H: pro ΗρΑ, ΗρΗ (*Iuno*); pro στειρα στειρΗ (*ſterilis*) quandoque vero et A breue pariter in H mutabant Iones recentiores: αληθειΑν, αληθειΗν. (*veritatem.*)

Dorienſes non ſolum H per E reddebant αρΗϊ, αρΕϊ, (*Marti*) ſed frequentiſſime quoque per A: Αλιον pro Ηλιον (*ſolem*) Αμεραν pro Ημεραν (*diem*) αδικΑσαι pro αδικΗσαι (*iniuſtitiam committere*) etc. Immo vero et loco EI, vſurpabant H: pro ιδΕΙν, ιδΗν (videre) vel E ſolum ponebant, ſublato I: φωνΕν, φρονΕν pro φωνΕΙν, φρονΕΙν (*clamare, et cogitare vel ſapere.*)

Aeolenſes, ſimiliter pro H vſi ſunt A vel E: pro νοΗμα, νοΑμα (*intellectus*) Αως pro Ηως (*aurora*) αρΕϊα pro αρΗϊα (*martialia.*) His vero peculiaris fuit mutatio A, in E; κρΕτος enim dicebant pro κρΑτος (*robur*) πριΕμον pro πριΑμον (*Priamum*) γΕληνη pro γΑληνη (*Serenitas*) Et E in H: κρΗς pro κρΕας (caro) et Y in I: Ιψηλον pro Υψηλον (altum) Ιπαρ pro Ὕπαρ (*viſio vera non ſomnium.*)

Ex quibus omnibus pro certo habendum, notabilem aliquam varietatem intercesſiſſe, inter litteras E, H, I, Y; talem

talem nempe et tantam, vt diuerſitas ſonorum in his exprimendis, aliter omnino auditus organum percelleret; atque ſic ſatis diſtinctam praeberet notam diuerſorum populorum loquutionis, hac vel illa dialecto vtentium.

4. Sed eſt et illud praeterea conſiderandum, quod niſi H vocalis diuerſe ab E, apud veteres pronunciaretur, confuſionem maximam inter ſe colloquentibus pareret. Profer Hϑος (*morem*) per E, atque Eϑος, (*conſuetudinem*) in ore habebis; quae duo Hϑος et Eϑος, quantum inter ſe diſtent, per integrum tractatum Plutarchus nos docere ſuſcepit; et Caſaubonus inter recentiores in ſuis in Athen. Lib. I. animaduerſionibus. Et ſexcenta talia in lingua Graeca paſſim occurrunt, in quibus ſi H per E enunciaveris, res exprimes diuerſiſſimas, ſenſumque dabis audientibus aut ridiculum, aut plane abſurdum: γHϱας, γEϱας: illud *ſenium* denotat, hoc *munus*, aut *praemium*; γHμω et γEμω: illud eſt *nubo*, hoc *plenus ſum*, atque *onuſtus*; Hδω et Eδω illud *oblecto*, hoc *comedo*. ΣHπτον, ΣEπτον, illud *putridum* vel *putreſcens*, hoc *ſacrum* et *venerandum*. Neque hic opponas *temporum momenta*; quia Σεπτον longam poteſt habere primam, vt et ΣHπτον; hoc natura, illud poſitione quod aiunt grammatici; ſicut ΣHψω et ΣEψω (*putrefaciam*, *venerabor*) Hξω et Eξω (*veniam*, et *habebo*) et ſupra numerum alia, quae hic ſuperfluum eſſet congerere.

5. Et hoc addendum, quod ex ſententia *Etiſtarum*, ſi H Graecum per E longius productum, veluti EE proferatur, verborum ita in lingua Graeca plurimorum pronunciatio hiulca eſſet, et plane intolerabilis; quod de lingua, ſi quae alia, ſuaui illa et harmonica quis dixerit? Et profecto ſi criticis hiſce noſtris fidem addamus, particula diſiunctiua Hε, Homero reliquiſque poetis in vſu

 frequen-

frequentiſſima, ſic ſonaret EEE; et Ηελιος (Sol) ΕΕΕλιος; et Ηερα (Aërem) ΕΕΕρα; et Ηεν (ibat) ΕΕΕν. Fac, quaeſo, experiare comma hoc, ad modum Etiſtarum exprimere: Ην εθελΗσΗ σε, Ηε ελεΗσΗ σε Θεος: (*ſi voluerit te, aut miſeratus tui fuerit Deus*) ita dicas neceſſe eſt: εεν εθελεεσεεσε, εεε ελεεεσεεσε Θεος. (Een etheleeſeeſe, eee eleeeſeeſe Theos.) Ecce vicies E littera conſecutiue occurrens, vſque ad nauſeam, vel ad rauim vſque proſequenda. Sed (Hiſtoriophilus monet:)

Ohe! iam ſatis eſt, ohe libelle!

finem ponamus hiſce grammaticationibus; quae tamen, ſi vere loqui velimus, non tam grammaticationes ſunt, quam naturae geniique linguae, de qua loquimur, obſeruationes; ad quas praecipue adtendendum; ſi quis de modo vetuſtae Graecorum pronunciationis aliquid ſani iudicare ſtatuereque voluerit.

Vt ergo ad Ζηχȣς, a quibus longius fortaſſe quam par erat diuertimus, reuertamur, nuſquam eos Ζεχος; ſeu per E, vocalem expreſſos, neque ſcriptura, neque pronunciatione apud Graecos fuiſſe, confidenter aſſerimus. Et de ſcriptura quidem facile nobiſcum Etiſtas crediderim conuenturos; cum nemo ſit hucuſque inuentus, qui pro Ζιχȣς, vel Ζηχȣς ſcripſerit Ζεχȣς. Conueniendum vero ipſis eſt, et de ipſa loquutione. Nam 1. apud Procopio anteriores, cum *Zichi*, *Zicchi*, *Zinchi*, *Zingi*, *Sinchi*, paſſim per I, adpellati veniant; vel etiam per Y (ſi *Zygi* vel *Zygii* pro eiſdem populis, vt eſt probabile, cenſendi) *ZEchorum* nomen per E tum fuiſſe prolatum nemo dixerit; non certe, niſi et vocales I vel Y (vt de H ſunt qui opinantur) aeque ac E valuiſſe apud Graecos vetuſtiores idem ſomniauerit. 2. Si etiam per H (vti primo in Procopiana contingit hiſtoria) ΖΗχοι ſcripti inuenirentur;

illaque

illaque esset solemnis et vsu constabilita apud vniuersos scriptores nominis huius lectio; nec ita tamen, nisi more latinorum, solis Romana lingua vtentibus vsurpando, Ζεχοι a Graecis fuissent vocandi; cum vis vocalis H non propius ad E, quam ad I accederet, prout satis a nobis superius demonstratum est. 3. A Procopio Caesariensi ad posteriora tempora descendentibus cum iam a pristina pronunciationis puritate atque elegantia, lingua Graeca defecisset, littera H in subiecto nomine, vt in caeteris, occurrens, per I potius quam per E erat pronuncianda; quod cum ex eodem Procopio conficitur, qui Ζικχους ipsissimos Arriani, Ζηκχους ipse, (si tamen ipse) scribebat; tum ex Porphyrogenneta, qui eundem populum modo Ζιχους, modo vero Ζηχους praebet legendum; tum ex aliis auctoribus, aut ipsis subparibus, aut paulo recentioribus, quorum alii Ζηχους; Ζιχους alii habent indifferenter. Tum denique ex ipso vsu apud Graecos sequioris aeui iam introducto, qui vocales hasce H, I, Y; vnaque cum his et diphthongos Ηι, ΗΙ. Ει, Οι, Υι, dudum confundere, atque pro vnisonis habere in pronunciatione solebant; quod vel ex ordine litterarum, quem in edendo lexico suo Suidas sequutus est clarissime patet; prout obseruauit Cl. auctor eruditissimae dissertationis *de Czecho et Lecho* non ita pridem conscriptae; quae doctissimorum virorum communi calculo comprobata, prae reliquis de eodem argumento scriptis, laudem promeruit, praemiumque reportauit.

Quod si igitur Ζιχοι ante Procopium perpetuo; et Ζηχοι post illum, idem sonantes, audiebant; ΖΕχων vero (per E) adpellatio Graecis fuit penitus insolita et inaudita; vnde tandem Schminckio atque Dobnero potuit in mentem venire, vt ex *Zichis* illis *Czechos* Bohemicos nobis

bis facerent? Historiophilus occurrens, paucis hoc dubio extricare se arbitratur. Supponens enim ex Clenardo, et Iacobo Gretsero, *litteram Graecam Z tanquam ΔΣ pronunciari debere* (in Ead. Disquisit. pag. 25.) iuste sibi concludendum inde putat, *inter Tzechos Cinnami, et Zecchos Procopii*, indissolubilem quandam intercedere cognationis necessitudinem, *cum vix aliqua sit in sono differentia.* (id. ibid. pag. 26.) *Nam etiam hodie* (inquit) *Dsech, et Tsech paululum differunt enunciatione; nisi quod posterior scriptio, magis ad barbarae vocis duritiem exprimendam accommodatior posterioribus visa sit Graecis; qui Slauorum crebro commercio aduerterunt Slauicam litteram ˇC, non plane sono reddi per litteram Z; quam vt asperiorem efficerent litterae Z praeiecerunt T.*

Sed 1. nemo puto Historiophilo facile dabit, litteram duplam Z ad sonum ΔΣ debere resolui. Neque vllam habet vim ad id firmandum Clenardi, Gretserique adducta testimonia, cum omnes omnino grammatici Graecorum et lexicographi contrarium afferant; Z nempe sono ΣΔ, non ΔΣ, aequiualere. Dionysius Halicarnassensis de compositione nominum, *το* Z docet componi *δια τȣ Σ και Δ.* Eustathius in Homer. pag. 1562. idem affirmat: *το γαρ Ζ εκ του Σ και Δ συγκειται:* ideoque Σ vocat *αρκτικον της συνθεσεως*; quod est, *initialem litteram compositionis.* Varinus Phauorinus similiter: *Συγκειμενον εκ Σ και Δ.* Henricus Steph. in suo thesauro; Iohan. Scapula in Lexic. Graecol. Io. Matth. Gesnerus in nouo thesauro linguae Romanae; et quis non? Hinc Dores ΣΔ*ευς* pronunciabant pro Ζ*ευς*; *συρι*ΣΔ*ω* pro *συριΖω*; vulgo vero ΕΣΔ*ρας* pro ΕΖ*ρας*; ΙΣΔ*ραηλ* pro ΙΖ*ραηλ*. Praestat vero hic audire commentatorem Lib. IV. grammatices Theodori Gazae, qui penitius rem introspiciens, ex ipsa linguae Graecae analogia

analogia rationem reddit inuictam, cur littera Z ſemper in lingua Graeca ſit *Propoſitiua* Πϱοτακτικον; *deſitiua* nunquam? Ratio vero eſt, quia in compoſitione reliquarum duplarum Ξ Ψ littera Σ ſequitur, in Z autem praecedit. Διατι δε μη κατα το Ψ καὶ Ξ, καὶ το Ζ εν τελει λεξεως Ελληνικης τασσεται; η οτι τα μεν ληκτικον εχει το Σ, ληκτικον ον ονοματων καὶ ϱηματων: τȣ δε Ζ το Δ ληκτικον, των μεσων ον, καὶ μηδεποτε εις τελος λεξεως τασσομενον. *Quare non, ad modum* Ψ et Ξ, *etiam Z ad finem Graecae dictionis ponitur?* Vel *quia illae* (Ψ et Ξ) *deſitiuam habent litteram* Σ, *quae deſitiua nominum verborumque eſt; huius vero* (ſeu Z) *deſitiua eſt littera* Δ, *quae cum vna ex intermediis ſit, nunquam ad finem vocis ponitur.*

2. Neque illud verum eſt, quod addit Hiſtoriophilus, Cinnamum ideo non Ζηχȣς, ſed Τζεχȣς ſcripſiſſe, *quod poſterior ſcriptio magis ad barbarae vocis duritiem exprimendam accommodatior* (ſibi) *vt et poſterioribus viſa ſit Graecis.* Concedimus duram illam et aſperam duarum litterarum TZ in eadem ſyllaba copulationem, barbaram eſſe, et a natura linguae Graecae plane abhorrentem; ſed propterea loco Ζηχων, Τζεχȣς nominaſſe Cinnamum, hoc vane praeſumi, nulloque firmo talo niti cenſemus. Etenim barbaro illo TZ nexu vſi fuerant ante Cinnamum et alii ad barbara nomina exprimenda; et nominatim ipſe Procopius ſexcentis in locis; vt cum ΣτοΤΖαν quendam vocat, et alium ΚȣΤΖην, et ΤΖαζονα, et Ιωαννην ΤΖιβον; et gentem ΤΖανȣς appellat, et regionem illorum ΤΖανικην; et Caſtellum in Tzanica, ΤΖανζακονα; et ΤΖȣϱ alteram e Caſpiis portis; et ΤΖιβιλον Caſtellum Lazicum; et ΤΖεϱζενȣσαν Caſtellum Illyrici, et ΤΖȣτϱατο aliud; et Caſtellum in Armenia ΤΖȣμινα, quae dicta fuit Iuſtiniana; et Caſtella varia Thraciae ΤΖȣϱȣλον, ΤΖαμπολεγονα, ΤΖυϊδον etc. cur ergo

in ſolo

in ſolo nomine *Tzechorum* barbariſmo iſto abſtinuit Procopius? cur, cum de Lazica regione loquens TZιβιλον (de Bell. Goth. Lib. IV. cap. X. pag. 589.) appellare non dedignatus fuerit; et TZȣρ Caſpianam portam (ib. cap. III. pag. 570.) in capite ſequenti ſtatim de populis enarrans finitimis, recordatus eſt ſuae linguae puritatis, et cum eodem modo TZεχȣς poſſet, Ζηχȣς dicere ſcribereque maluit? nonne inde praeſumendum eſt potius Procopium ſciuiſſe TZεχȣς, non Ζηχȣς fuiſſe, ſed gentem longe diverſiſſimam; proinde ne confunderet cauiſſe? At Cinnamus TZεχȣς vocauit, quia non de Ζηχοις eo in loco tractabat. Caeterum et reliqui poſteriores Graeci vt antea obſeruatum a nobis eſt; Porphyrogenneta, Euſtathius, auctor Legendae S. Ap. Andreae in Graecorum Menologio, Nicephorus Gregoras, et recentiſſimus auctor Graecus Meletius Athen. antiſtes, in geographia quam Barbaro-Graeco ſermone conſcripſit; omnes Ζηχȣς, vel Ζιχȣς nominarunt, licet vltimus iſte et TZεχων ſeparatim Bohemicorum mentionem fecerit; quos Chalcocondylas Lib. II. de rebus Turcicis pag. 10. editionis Venetae Κεχιȣς appellauit. Quodſi igitur, et qui ante Cinnamum ſcripſere, tametſi barbara illa TZ litterarum copula frequenter vſi, in nominandis tamen Ζηχοις abſtinuere; et qui poſt eum, barbariſmo licet in dies inter Graecos ingraveſcente, Ζηχȣς et TZεχȣς minime confundendos eſſe iudicarunt, ſed probe diſtinxerunt; aequum ergo eſt, vt idem de Cinnamo quoque ſentiamus; nec iſtum nempe per ſuos TZεχȣς, Procopianos Ζηχȣς intellexiſſe, ſed gentem aliam prorſus, et re, et nomine diuerſiſſimam.

3. Et ſane, ſi Cinnamus TZεχȣς ſcribens, idem nomen quod per Ζηχȣς a Procopio Ζιχȣς vero ab antiquioribus expreſſum inueniebat, indicare nobis voluit, regulam

lam neglexit auctoribus solemnem, et ad claritatem historicam, si quae alia, perutilem. Est enim vsitatum scriptoribus, quotiescumque nomen proprium hominis, vrbis, regionis, gentis alicuius, in aliud diuersum vtcumque progressu temporis immutatum, referunt; tunc et de antiquiori simul vel semel denominatione lectores suos admonere, ne ipsis occasionem errandi praebeant. Sic Pausanias in Messeniacis: *Zanclen mutato nomine, Messenen placuit appellari.* In Eliacis: *Prisco nomine Palenses, Dulichii sunt appellati.* In Arcadicis: *Phigalia quae antea Oresthasia, mutato nomine est vocitata.* Ibidem: *Phegia quae antea Erimanthus.* In Phocicis: *Tenedos quae antea Leucophrys; quae Ichnusa, Sardinia; quae Corsica ab inquilinis, Cyrnos a Graecis* etc. Sic Arrianus in Periplo: *Apsarum regionem, Apsyrtum olim aiunt fuisse appellatam.* Et infra: *Sepastopolis olim Dioscurias fuit appellata.* et vlterius: *Drillae mihi videntur esse Sanni.* et; *Pharnacia olim Cerasus dicta.* Ita et Strabo: *Diagebres quondam Iolaenses dicti.* Geogr. Lib. V. pag. 344. ut *Epidamnus quae nunc nomen Dyrrachii tenet.* Lib. VII. pag. 486. et *olim Alybes pro Chalybibus dicti sunt.* et *Sinties quidam Thraces dicti fuerunt; post Sinti; inde Saii; qui iidem nunc Sapae dicuntur.* Lib. XII. pag. 826. 827. Et ex scriptoribus Byzantinis, Procopius: *nonnulli Sanos, quos Tzanos vocamus hodie.* de Bell. Gothico Lib. IV. cap. I. pag. 566. quod tamen ipse non adprobat. O! si dixisset: Ζηκχους, *quos* ΤΖεχους *vocamus hodie!* Et, *Colchorum nomen cum Lazorum nomine nunc commutatum.* id. ibid. Et, *vrbs antiqua Absarus; quam Absyrtum dixere veteres.* ib. pag. 568. Et Continuator Procopii Agathias scholasticus *Franci* ... *olim dicti Germani.* Lib. I. pag. 112. *Lazi .. olim Colchi dicebantur.* Lib. II. pag. 55. *Hunni superioribus temporibus*

bus vocati Onoguri. Lib. III. pag. 77. Omitto reliquos passim; sed Cinnamus ipse non est omittendus: *Heracleam Mysiae, quam nescio quo idiomate Pelagoniam nunc Romani* (id est Romano-Graeci) *vocant.* Lib. III. cap. 17. pag. 73. *Brundusium, Temessam ciuitatem vocabant veteres.* Lib. IV. cap. 10. pag. 92. Dicat Historiophilus, cur Cinnamus eandem non vsurpauerit regulam, quum de Tzechorum gente mentionem fecit? Respondebit fortasse ille; tali monitu Cinnamo haud hic opus fuisse, cum nulla fere Ζηχȣς inter atque Τζεχȣς intercedat adpellationis diversitas, sed an magis quam Ζηκχοι et Τζεχοι, expressione differunt *Alybes* et *Halybes? Sinties* et *Sinti*, de quibus Strabo? *Sani* et *Tzani* de quibus Procopius, operae se pretium facturos duxerunt lectores suos commonefacere? Dixisset pariter et Cinnamus Lib. V. cap. 10. pag. 127. TΖεχȣς *quos* Ζηκχȣς *vocabant veteres;* et litem ita diremisset! Et profecto dixisset si dicendum esset; at Cinnamus contentus esse poterat, distinctione nominum, ubi populos origine distinctos fuisse probe sciebat. Proinde nos quoque, nunquam nobis persuaderi patiemur, ex *Zygis* vel *Zichis Czechorum* gentem originem traxisse; quod per inanes et futiles coniectationes, superius recensitas, et, ni omnia me fallunt, satis refutatas, Vir, caetera doctissimus euincere conatus est.

ERRATA.

P. 9. not. lin. vlt. fita l. saxa. p 18. lin. penult. gerit testa l. gerit praelia testa. p. 20. l. 12. sunt l. sint. l. 15. turbatis l. turbato. p. 22. not l. 2. et l. est. p. 25. l. 14. militan*di* l. *ti*. p. 36. l. 13. pote*runt* l. *rant*. p. 53. l. antepen. curaque l. cumque. l. vlt. confirmatur l. continuatur. p. 56. l. 17. paret l. patet. Reliqua neminem morabuntur.